NEMESII PHILOSOPHI CLARISSIMI DE NATVRA HOMINIS LIBER VTILISSIMVS.






GEORGIO VALLA PLACENTINO INTERPRETE.

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.





LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM, 1538.



ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISS. D. IAcobo Philippo Saccho Cæsarei Senatus amplissimi apud Insubres Gallos Pręsidi, ac Moderatori iustissimo Gaudentius Merula S. D.





STATVERAM iandiu aliquod ad te, ex quo meam erga te obseruantiam, uel me tacente cognosceres, munus, quod & tuę amplitudini, & professioni meæ foret idoneum, mittere. Nunquàm tamen facere id licuit mihi, quòd ea quę ex officina nostra exeũt, tuo uideãtur intuitu prorsus indigna: & quæ tua sunt maiestate digna, ex farina (quòd aiunt) uix sint nostra. Quamobrem hac re super angebar maximè: idq; facturũ me nunquã sperassem, nisi desperatis Fortuna salutẽ propè rebus attulisset. Siquidem Georgij Merulæ uiri candidissimi, & de Repub. literaria tam bene meriti, quàm qui maximè, bibliothecam mihi reuoluenti, statim Nemesius occurrit: quem cùm raptim legissem, Dij boni quo gaudio sum affectus. Secũdò igitur, & tertiò cùm ad Nemesium redijssem, tuis dignum manibus munus existimaui: quòd sit homini uel moribus, uel ætate composito opere (prout

mea fert sententia) isto conducibilius nihil: ei præsertim, qui sacrosanctũ Christi dogma profitetur. Quòd item eum in dispositione totius operis admirabilẽ inuenerim multifariæ supellectilis copia uarium, ordine conspicuum, numero, & elocutione (prout ætatis traductoris conditio ferebat) splendidum satis. Quid præterea Nemesio hoc nostro sublimius dici uel fingi potest? Non'ne humani ingenij uires longo interuallo excedit, dum animãtium cuiusque generis corporum abditam harmoniam ob oculos nobis proponit? dum de anima tam subtiliter philosophorum, qui ἐθνικοὶ uocantur, opiniones impugnat? dum de animæ corporisque copula euidentia sic argumẽta subtexit? Quis enim unquã (si tamen uera fateri uolumus) de totius corporis compositione, eiusque seminibus sic argutè disputauit, dum aperit, quæ duntaxat corpus, postea quæ animam, mox quæ utrunque cõsequantur? Item quæ in nostra sint manu, & quæ item extra. Dij rursus boni, quo mentis impetu Manichæos, unam omniũ solam animã esse putantes, prosternit? Quo spiritu ueterũ philosophorum de rebus sublimibus decertãtium sententias colligit, cõmittit, confert? Ignorabã per Deos immortales, ignorabã antequã legissem Nemesiũ, qd fatũ esset quod in astris est, qd ἐντελεχία Ciceroni dictio fortasse minus cognita: quid diuina prouidentia, & ea qua ratione se cunctis rebus ingerat: quid imaginarium esset: unde uisus, tactus, gustus

ſtus, auditus, & odoratus cauſſæ oborirentur: ubi nam exiſteret & æſtimationis, & memoriæ ſedes: quid ratiocinatio foret: quid prolatio: quid irrationalis anima: quid concupiſcibilis: quot ægrimoniæ partes: quid ira: quid item metus. Diſcet tandē mecum lector motum per impulſum, eiusq́ ſpecies: quæ nam de fato ſit Platonis opinio. Nolo ego hac in re diutius te detinere: uel, ut ſignantius loquar, fruſtrari: ne quãdoq́ humaniſsimis tuis oculis abuti uidear. Illud tamen cum pace tua dixero: autorem uidelicet Latinitate donatum fuiſſe Nemeſio utiliorem neminem, tunc demum in portum me recipiam. Ex hoc enim omnem humanam ſapientiã, quam Pythagoras euitandæ arrogantiæ cauſſa philoſophiam primus appellauit, in tres partes diuiſam eſſe didici: pietatem uidelicet, doctrinam & prudentiam. Eamq́ non arripui, ſed hauſi nullo ferè negotio: quòd non doceat Nemeſius, ſed inſtituat: non inſtituat, ſed imbuat. Ad pietatē quidem, dum nos ad Chriſti cultum traducit. Ad doctrinam porrò, dum Philoſophiæ præcepta declarat: dum item de rebus omnibus, quas efficere uel poſsit, uel non poſsit humana fragilitas, diſputat. Ad prudentiam autem nos diſponit, dum quæ fugienda, & quæ expetenda ſunt, oſtendit. Item quæ æterna, quæ'ue caduca ſint. Quæ moleſtiam pariãt, quæ'ue lætitiam, cupiditatem, timorem, & id genus alia. Non ab re igitur uiſum eſt mihi hoc Nemeſij opuſculum ad-

mirabile, nõ Christiani hominis tantùm, sed & Philosophi, Theologiq́ꝫ tibi dicare: ut tuæ celebritatis (quanquàm uino per se, quod aiunt, uenali quid opus est hedera?) fauore fultus exeat in lucē: Christianus Christianum fouebit, philosophus philosophum amplexabitur, theologum theologus excipiet. Ille præterea doctrina eximius, & sanctitate: tu autem ad hæc adeò religione conspicuus es, ut me prorsus fugiat, magistratum'ne, quo te Cęsar insigniuit in Cisalpina Gallia, ornet religio, an magistratus religionem. Verùm hæc iudicent alij: tu intereà Nemesio oblectare, & Merulam tui splendoris studiosissimum ea humanitate, qua optimos quosque amplecteris, foue. Mediolani VIII. Kal. Maias, M. D. XXXVIII.

NEMESII PHILOSOPHI CLARISSIMI DE NATVRA HOMINIS LIBER.

DE ANIMA ET CORPORE. CAP. I.



OMINEM ex anima intellectiua, et corpore, abſolutiſsimè definitũ, & tam rectè, ut ne aliter quidem definiri poſſe uideatur, multi & boni uiri cenſuere. At, quum intellectiua ipſum cõſtare anima definimus, ambiguũ ſanè uideri poteſt, utrum animã ſubiens intellectus, tanquam alius, aliam fecerit intellectiuam, an intelligẽtiam ipſamet anima, & natura ſuapte aſſecuta ſit: quæ pars animæ longè optima eſt, & perinde atq; in corpore oculus. Quidam uerò, inter quos Plotinus eſt, aliud eſſe animam, & aliud intellectum arbitrati, ex tribus hominem conſtare, corpore, anima,

intelle

intellectu, quem tum mentem, tum animum plerique uocant, uoluere, quos Apollinarius Laodicenſis epiſcopus ſecutus eſt: nam hoc ſuæ iaciens opinionis fundamentũ, reliqua porrò huic aſtruxit ſententiæ. Quidam ab anima intellectum neutiquam diſtinxerunt, ut tamen eius eſſentiæ intelligentiam principalem eſſe duxerint. Ariſtoteles potentia quidem homini mentem connexam, actu uerò forinſecus nos ſubire arbitratus eſt: non ut una ſit, hominisque perficiat ſubſtantiam: ſed coniectam ad naturalium rerum cognitionem, ac ſpeculationem promouendã. proinde miræ paucitatis homines, & ſolos ferè philoſophantes eſſe, qui intelligentiam actu habere confirmentur. Plato autem non ex duplici ſubſtantia, anima, & corpore hominem conſtare, uiſus eſt dicere: ſed animam tali utentem corpore, præſtantiora utique excogitans de homine, hac excellentia nos ad ſolius animæ diuinitatem, & curam conuertit: quò noſipſos nihil aliud, quàm animam eſſe credentes, ſola animæ bona proſequamur, uirtutes atque pietatem, nõ autem corporis cupiditates adamemus: utpote quæ hominis, aut hominem conſtituentia non ſunt: ſed animal quidem antecedũt, hominem uerò ſubſequuntur: quandoquidem & homo animal eſt, & alioqui corpore longè præſtantiorem animam in cunctis hominibus eſſe certum ſit: ab ipſa enim corpus tanquam eius mouetur inſtrumentum. quod planè mors indicat: ſeiuncta & omnino ſeparata

ſiquidem à corpore anima, immobile, & prorſus actione uacuum iacet corpus: ſicut amoto artifice, immobilia iacent inſtrumenta. Manifeſtum autem eſt, quòd & cum inanimatis homo communicat, & irrationalibus compar eſt animantibus, & ratione utentibus conſors intelligentia eſt. cum inanimatis quidem corpore, & elementorum quatuor mixtione communicat. cum plantis autem non illis modò, ſed etiam ui nutritiua, atque ſeminali. cum rationis porrò expertibus præter illa, quæ dicta ſunt, peræquè comparatur motu, impulſu, appetitu, excandeſcentia, ui ſentiendi, atque reſpirandi. hæc utique omnia hominibus communia ſunt cum rationis expertibus, licet non omnibus omnia. cum uacuis autem corpore, & utentibus intelligẽtia naturis, ratione conuenit ratiocinando, intelligendo, ſingula iudicio diſcernendo, uirtutes proſequendo, uirtutibus tenaciter adhærendo, pietatẽ amplectendo. Quamobrem, ſicut ex definitione percipitur, intelligibilẽ, & ſenſibilem ſubſtantiam complectitur: corpore quidem, & corporalibus potentijs cum alijs conueniens animantibus, & inanimatis: parte autem rationali, cum uacuis, ut iam dictum eſt, corpore ſubſtantijs. Nam rerum omnium creator Deus parum admodum inter ſe differentes uiſus eſt naturas colligaſſe, ut unam & unà productam omnem oſtenderet creationem: ex quo unus omnium, quæ ſunt, creator eſſe maximè datur intelligi. non enim indi-

uiduorum modò per partes uniuit ſubſtantiam, ſed & ſingulas coniunctim inter ſe ſpecies harmoniæ modo compoſuit. Nam quemadmodum in ſingulis animalibus accommodauit inſenſibilia ſenſibilibus oſſa, & corpulentiam, & pilos, cæteraq; inſenſibilia ſenſibilibus neruis, & ex inſenſibilibus ac ſenſibilibus conſtare animal fecit, ac quod unum eſſet, demonſtrauit: ita in alijs per ſpeciem creationibus fecit, proprietate, & naturæ exigua inter ipſa inuicē mutatione componēs, ut non multùm uſquequaq; inanimata à plantis, quæ uim ſe nutriendi habent, diſtare inueniantur: neq; plantæ ab expertibus rationis, & ſenſibilibus animantibus: neq; rationis expertia à rationalibus prorſus abalienari, nullo fœdere coniungi, ac ſine aliquo ſimilis geniture, & naturali uinculo eſſe. Quin & lapidibus ipſis ui quadam etiam inter ſe diſconuenit. magnetis enim lapis aliorum lapidum naturã, ac uim excedere uidetur, manifeſtè ad ſe trahendo, ac detinendo ferrum, tanquam uelit ipſum in nutrimentum conuertere: & ne in uno id quidem tantùm ferro facere, ſed ſuper alio aliud detinere: traditaq; apud cunctos ipſam tenentes eandem uim habet. Detinetur itaque & à ferro ferrum, quum à ſuppoſita magnetide cohibetur. Deinde rurſus à plantis ad animalia tranſcendens non continuò ad greſsibilem, ac ſenſibilem naturã decucurrit: uerùm ad ipſam concinnè peruênit. pinas enim, & marinas urticas arborum ſenſibilium

modo

modo comparauit: ab radicibus siquidem ipsas in mari defixit instar plantarum, lignorumq́ testudine obtexit: ac sicut plantas obfirmauit, cõmunemq́ cunctis animãtibus sensum tangendi dedit, ut plantis, dum quidem defigitur, par esset: animantibus uerò, tactu. Spongiam quoque, licet saxis adhærentem, tamen contrahi, ac obluctari, quum ad se propius accedentem quempiam persentiscit, Aristoteles enarrauit. Quocirca hæc talia ueterum consuetudine sapientum animaliplata (ut noua in re nouum confingam mihi uerbum) quod Græci zoophyta dicunt, sunt uocitata. Pinis rursum, & cæteris huiusmodi non gressibilibus animalibus eorum generationem accommodauit, quæ longè procedere nequeunt, sed per se ibidem mouentur: cuiusmodi sunt plurima, quæ testudineum habẽt indumentum, & quæ terræ appellantur intestina. Proinde alijs quidem speciatim plures tribuens sensus, alijs uerò gressum quàm plurimum, ad perfectiora rationis expertia peruênit animalia. perfectiora autem uoco, quæ omnes sunt sensus consecuta, & quæ possunt quàm longissimè progredi. Sed ab irrationalibus porrò ad rationale animal hominem transcendens, non euestigio ipsum absoluit: uerùm alijs prius animãtibus naturales quasdam cognitiones, & cogitationes, & astutias iniecit ad salutem, ut propè rationalia euaderent. nam rationale animal, & quod rationem uerè adeptum sit, hominem pro-

duxit. Eodem modo & de uoce exquirens inuenias ex simplici & uniformi equorum ac boum proclamatione uocem cõstare: pedetentim autem in uariã, ac plurimùm differentẽ, ut auium coruorum, ac lusciniarũ uocem perueniri, quoad tãdem in articulari & perfecta hominis uoce terminata sit. Articularẽ porrò linguæ uarietatem cum mentis sensu, atq; ratione cõiunxit, ad animi motus exprimendos. atq; hoc pacto cunctis cuncta musica proportione cõposuit, & colligauit, & media hominum genitura, quæ sub intelligentiã, & uisum cadunt, in unum congregauit. Quamobrẽ non iniuria Moyses uniuersi creationem exponẽdo perfectum ait hominem genitũ: non quòd propter ipsum modò omnia producta sint (consequens enim erat, ut primùm quæ ad eius usum erant, gignerentur, & deinde, qui illis usurus esset) sed quòd intellectiua genita substantia, ac rursum uisibili, amborum quoq; nexũ aliquẽ gignere necesse fuerit, quo unum esset uniuersum, & sibi cõpatiens, ac id sibi minimè alienũ. Genitum itaq; animal homo est, quod ambas naturas connecteret. Quãta itaq; sapiẽtia omnia creator produxerit uniuersi, his breuiter ostẽdisse in prȩsentia satis sit. In finibus igitur rationalis, & irrationalis naturȩ homo constitutus, si ad corpus declinarit, & quæ corporis sunt plus amauerit, irrationalium uitam animalium sequetur, & in eorum numero censebitur, ac terrenus iuxta Pauli uocabitur sententiã; audietq;:

Terra es, & in terram diſſoluêris: & ſtolidis pecoribus comparabitur, atque aſsimilabitur. Sin autem ſe ad rationalem partem, omnes corporis conculcans uoluptates diuinam, ac Deo dilectiſsimam uitam conficiet, & homo cenſebitur, eritq́ꝫ cœleſtibus, ut dictum eſt, cõparatus. Talis terrenus, quales ſunt terreni: & talis cœleſtis, quales ſunt cœleſtes. Rationalis ſanè naturæ caput eſt, fugere quidem atque auerſari mala, proſequi uerò ac deligere honeſta. Honeſtorum autem quædam inter animas, & corpus media ſunt. Quæ ad animam, talem planè relationem habent, quale cum corpore uinculum habet anima, cuiuſmodi ſunt uirtutes. Cæterùm, quæ animæ peculiaria ſunt, ad ipſam ſolam referuntur, corporis minimè indiga: ueluti eſt pietas, & eorum omnium quæ ſunt ſpeculatio. Quicunque igitur humanam optant uitam, qualem uiuere hominem par eſt, & non ut animal, ſolùm ad uirtutes accedunt, atque pietatem. Quæ autem ad uirtutes pertineant, quæq́ꝫ ad pietatem, mox dijudicabitur, quum de anima & corpore tractauerimus. Nondum enim cognito quidnã in nobis ſubſtantiæ anima ſit, non eſt, ut de ipſius actione quicquam dicere tentemus. Hebræi hominem à primordio neque mortalem omnium conſenſu, neque immortalem procreatum eſſe aſſerunt: ſed in utriuſque naturæ confinibus: ut ſi corporales motus conſequeretur, tranſmutationibus quoque corporalibus eſſet ob-

noxius; sin autē animæ bona in primis honorasset, dignus immortalitate donaretur. Quòd si ipsum à primordio mortalem Deus constituisset, nō utiq; aberrantem morti addixisset, nemo siquidem mortalitati mortalem adiudicauerit. Quòd si rursus immortalem esse uoluisset, non ipsum utiq; nutrimenti indigentem fecisset; quandoquidem nihil immortale corporali nutrimento indiget. neque tam facilè pœnitētiam egisset: sicut quum ex immortali mortalem illico fecit. quod in delinquentibus angelis neutiquam ab eo factum constat. Verùm, ut à primordio natura procreati fuerant, manserunt immortales, aliud delictorum suorum iudicium subeuntes, non utique mortem. Melius igitur uel hoc pacto quod euēnit intelligere, uel quòd mortalis quidem creatus esset: sed quòd ex promotione, quam fuisset assequutus, perfectus immortalis posset euadere: hoc est, quòd potentia esset immortalis. At quoniam & minimè conferebat ante cōsummationem, suam naturam cognouisse, prohibuit, ne de cognitionis ligno gustaret quicquam. Fuerāt enim, quinimo & adhuc sunt, aliquæ maximæ in plantis uires, tum utpote in mundanæ fabricæ primordio, quæ putilatæ, defecatæq; uehementissimam habuerunt actionem. Cuiusdam igitur fructus gustatio erat huiusmodi, ut suæ cuique naturæ cognitionem esset iniectura. Nolebat siquidem Deus ante consummationem, suam homo naturam dignosceret:

quomi

quominus plurimarum se rerum indigentem cognoscens corporis necessaria procuraret, animæ prouidentiam relinquens. Hac de causa uetuit de cognitionis fructu decerperet. Qui deo non obtẽperans se ipse quidem cognouit: sed perfectione excidit, & cura corporis exuscitata est: quam considerabũdus statim exquisiuit. nam, ut Moyses inquit, se nudum esse animaduertit: prius nanque obstupentem ipsum effecit, & in sui cognitionem conuertit. A' perfectione igitur prolapsus, ab immortalitate pariter excidit: quam postremò sui creatoris gratia resumpsit: & carnis esus ei concessus est. siquidem primò quæ solùm terra producebat, iusserat sufficere (erant autem ea in Paradiso) perfectione nimirùm desperata lapso deinceps, quæ ad esum pertinebant, cuncta cõcessa sunt. Sed quoniam ex corpore homo cõstat, omne porrò corpus ex quatuor elemẽtis, his passionibus, quibus elementa subijciũtur, hominem obnoxium esse necesse est, sectioni, mutationi, & fluxui, quæ corporis tantummodo sunt: mutationi quidem per qualitatẽ, fluxui uerò per exinanitionem. exinanitur siquidem animal per certos & incertos meatus: de quibus mox dicetur. necesse est igitur exinanitos æqua proportione resarciri, aut opportunarum rerum egestate dissolui animal. Quòd si aridis & humidis, & spiritu exinaniatur, arido & humido nutrimento, & spiritu indigens animal illis erit subleuandum. Est autem nobis

bis nutrimentum etiam potus ab elementis, ex quibus sumus compositi. ununquodque enim sibi peculiari ac simili nutritur: contrario summittitur. Item elementorum quædam cõtinuè ac simul, quædam per media aliqua proferimus: sicut aquam aliquando quidem per se, aliquando autem per medium uinum: & oleum, & quæcunque humidi fructus nomen habentia. nihil quippe aliud est uinum, quàm aqua per uitem & palmites in acinos diffusa. Idem de igni licet nobis intelligere. aliquando quidem continuò ex ipso calescimus: aliquando autem per media, quæ comedimus, aut bibimus. nam in cunctis aut plus, aut minus portionis ignis inspargitur. Eodem modo de aëre, dum aut continuè respiramus, aut ipsum nobis circunfusum habemus, aut dum inter comedendum, & bibendum attrahimus: aut per omnia alia media, quibus producimur. Terra uerò nequaquam continuò uescimur, at per media quædam. è terra siquidem cibus gignitur: cibo autem nos uescimur. Corydi tamen & columbæ, sæpenumero & perdices terram pro cibo habent: homo autem per media, ut sunt semina, arborum fruges, & carnes, terra uescitur. At quoniam non ad uenustatem tantùm, sed etiam ad concinnentiam tangendi sensus, quo cætera animalia homo facilè antecedit, factus est, nobis non circunfudit pellem crassam, ut bobus & alijs huiusmodi animalibus; neque pilos ingentes ac densos, ut ca-

pris

pris, ut ouibus, ut leporibus: neq; ſquammas, ut ſerpentibus, & piſcibus: neque corticem, ut teſtudinibus, & oſtreis: neq; teneram carnem, ut carabis: neque plumas, ut auibus: neceſſe itaq; fuit nobis indumentum inuenire, quod harum rerum loco nobis eſſet: quod cæteris natura largita eſt animalibus. hac de cauſa & nutrimentum, & indumentum nobis quærendum fuit. Domicilio autem ea ratione qua & nutrimento, & ueſte indigemus, nec id ob ferarum effugia, ſed ob qualitatũ humano in corpore diſtemperantias, & corporis compoſitionis ſolutionem. unde & in medicorum, & in obſeruationis tutela ſumus conſtituti. Qualitatis enim mutatione facta per oppoſitam illi qualitatem ad temperamẽtum, & priorem corporis ſtatum reducendi ſumus. non autem, ut quidam putant, medicorum eſt calore ſuccenſum corpus refrigerare: ſed ad temperantiam perducere. quòd ſi refrigerarint, in contrariũ illi morbum corporis perducetur affectio. Sunt itaque homini nutrimentum, & potus neceſſaria propter euacuationes, & debilitationes. indumentum uerò, quòd nullam à natura ualidam circuniectionem ſit aſſecutus. domus autem, propter circunfuſi aëris diſtemperantias, ac propter feras. obſeruatio, ob qualitatum corporis mutationes, ac ſenſum, qui corpori inſitus eſt. nam niſi nobis ſenſus adſit, ne quidem doleamus neceſſe eſt, & non dolentes nulla obſeruatione indigebimus. itaq; & mali inſcitia af

flictabimur langori nequaquam medentes. Quamobrem & artibus, & scientijs, & quæ de his manant, opportunis indigemus subsidijs: ac quòd nobis inuicem inter nos indigeamus, in unum conuenimus, & ad uitam nostram opportuna in contractibus nobis inuicem suggerimus. quem sanè conuentum, ac cohabitationem, ciuitatem maiores nostri nominarunt: quò proximis, & minimè longinquis inuicem inter nos fruamur auxilijs. natura siquidem risibile ac ciuile animal homo procreatus est. unus enim sibi omnia nemo potest suppetere. Non dubium igitur quin propter contractus atque disciplinas constitutæ fuerint ciuitates. Ideo etiam has homo præcipuas assecutus est dignitates. solus siquidem hic pœnitẽdo ueniam meruit, & solus, quum mortale corpus habuerit, immortalis euasit, & corporale propter animam, & animale propter corpus subiuit iudicium: solusque homo inter rationalia præcipuus pœnitẽtiæ uenia dignus est existimatus. Neque enim dæmones, neque angeli pœnitendo uenia digni putati sunt: & ob hoc iustissimus, & maximè misericors deus iudicatur, & prædicatur, angelis nullam necessitudinem ad peccatum allicientẽ habentibus: quippe qui natura suapte à corporalibus perturbationibus, & usibus, & uoluptatibus fuere liberi, iure nulla, etiam si ipsos commissorum pœniteat, uenia concessa sit. Atqui homo non rationalis modò, sed & animal est. Vsus autem & affectus, qui animalis

sunt,

ſunt, rationem plerunq; ad ſe rapiunt: quos quum fugerit intactos, ſeq; ad uirtutes conuerterit, iuſtam ueniæ miſericordiam conſequitur. Ac quemadmodum eius eſſentiæ proprium eſt riſibile, quandoquidem & ſoli hoc, omniq; ineſt, & ſemper: ita, in quibus gratiam uoluit deus mereretur, ipſius propriũ eſt aduerſus omnem rationalẽ creationẽ pœnitentia præteritorũ peccatorũ cauſas exuere. idq; ſoli homini, & omni, & ſemper dono datum eſt, quoad mundanam uitam uixerit: poſt mortem uerò neutiquã. Idem quoq; angelis quidam fuiſſe uolunt, non poſt lapſum, ut pœnitentiæ ueniam conſequi potuerint: mors ſiquidem ipſorum lapſus fuit. ante lapſum uerò per humanæ uitæ ſimilitudinem & ipſos uenia dignos eſſe potuiſſe: quam non agentes indignam uenia, & iuſtè illatam ultionem, promeritumq; ſubiuere iudicium. Ex his igitur non dubium eſt, quin pœnitentiam nullam ſubiuerint. Proinde præcipuum munus, & peculiare homini deputatur, cuius proprium eſt, & ſingulare, ac ſolius præter cætera animalia, quòd corpus poſt occaſum reſurget, & immortalitatem ſibi uendicabit. Hoc autem ideo eſt, quòd animam habet immortalem, ut corpus imbecillum, & uarijs affectibus obnoxium. Eiuſdem quoque propriæ ſunt artium, & ſcientiarum diſciplinæ, & cum his artibus operationes. Quocirca & hominem definiunt animal rationale, mortale, intelligentiæ & ſcientiæ capax, animal quidem, quòd ho

mo essentia sit animata sensilis: hæc enim animalis est definitio. rationale autem, ut ab irrationalibus distinguatur. & mortale, ut ab immortalibus ratione utentibus separetur. intelligentiæ & scientiæ capax, quòd à disciplina artes, atque scientiæ in nobis procreentur. uim enim habent intelligentiæ, & artium capacem homines: actionem uerò ad eas ex disciplinis assequendas. Aiunt nimirùm quidam, postremo loco positum redūdare in definitione: quòd absque ipso absoluta sit definitio. Alij porrò quum nymphas, & alia quædam genera inducāt, longæua quidem, sed minimè immortalia, quò ab illis homo distinguatur, intelligentiæ, & scientiæ capax adiecerunt. illorum siquidem nihil discit, sed suapte natura nouit quæ nouit. Hebræorū nempe opinio est, omne huiusmodi propter hominem esse productum: quādo ipsi omnia tribuūtur, ut iumenta, ac ad agricolationē boues: fœnum autem propter illa. Nam eorū quæ genita sunt, alia quidē propter se, alia uerò propter aliud. ꝓpter se quidē rationalia omnia: propter alia uerò, irrationalia, & inanimata. Sed hæc propter alia sint'ne, an non, cōsideremus. Nunquid propter angelos? atqui nemo qui sapiat propter angelos ipsa genita esse dixerit. quandoquidē propter alia procreata ad commendationē illorum sunt, ad diuturnitatem, ad requiem. aut enim propagandi generis gratia, aut nutrimenti, aut protectionis, aut culturæ, aut uitæ agendæ, aut requiei:

quorum

quorum nihil angelo opus est: nullam siquidem generis habet propagationem; necp corporalis indigens est nutrimenti, neque protectionis, necp huiusmodi aliorum. Quòd si non angelus, certum quoque est, quòd ne alia quidem, quæ angelum excedat, natura. quò enim excellentior fuerit, eò minus rei alicuius est indigens. Exquirenda itaqp natura est rationis quidem capax, sed rerum indigens propositarum. At quæ nam demum erit huiusmodi, si eam hominem esse negauerimus? An non his concluditur, propter hominem tam irrationalia, quàm inanimata esse procreata? Quum igitur propter ipsum, ut est demonstratum, genita sint, ob hoc etiam dominus ipsorum constitutus est. Dominantis autem est ad mediocrem usum uti subiectis, & non ad uoluptarium usum intemperanter in obprobrium conuertere, neque onerosè, & molestè uti inferioribus atque subiectis. Peccant igitur quicunque irrationalibus non bellè utuntur, nec quod dominantis officium est, faciunt: neque iusti, ueluti eis præscribitur. iustus enim pecorum suorum animas deflet. Hîc fortaßis dicat aliquis, non propter aliud unumquodqp, sed propter se genitum. Separantes itaque primùm animata ab inanimatis scrutemur, an poßint inanimata propter se uideri genita. Quòd si ipsa propter se, quonã pacto, aut unde alentur animantes? nam è terra nutrimentum animantibus à natura pręberi uidemus tum fructibus,

tum plantis, exceptis quibusdam pulpa uescentibus: atque his porrò pulpa uescentibus quædam nutrimento sunt animalia terram depascentia, ut lupi sunt, qui quidem ac leones agnis, & capris, & suibus, & ceruis uescuntur: aquilæ uerò perdicibus, & phasis, & leporibus, & similibus, quæ terræ fructus depascuntur. Enimuero & piscium natura se inuicem comedentium in pascendo citò utique deficiat necesse est, nisi alga, & alijs quibusdam in aquis nascentibus alantur. Quòd si rursum cuncta piscium genera se inuicem comedant, & eorum nullum carnis esum deuitet, ne breui quidem temporis curriculo suffecerint: sed absumentur, alia quidem à se inuicem, alia uerò nutrimenti egestate: quod, ne eueniret, nonnulli natura docente pisces carne quidem abstinuerunt, sed herbam quãlibet maritimam depasti sunt, quò ex his cætera cõseruentur. horum alga quidem cibus est, illorum uerò hæc, & rursus illa aliorum, quoad omnium absolutum est nutrimentum: quod continuò à terra mare summittit ad aliorum conseruandam substantiam. Ex his igitur quæ dicta sunt, satis, ut opinor, ostendimus, plantas non propter se, uerùm ad hominum nutrimentum, ac ornamentum, necnon ad cæterorum beneficium animalium esse procreatas. Quòd si hæc propter hominem, & cætera animalia, non dubium quin horum & auctionis, & generationis causa propter eadem comparata sit. Ex his

his igitur liquet aſtrorum motus,& cœlum, & tempora,& imbres,& id genus alia, propter hæc creata, ut nutrimentorum tanquam in circulum continuè ſe obeuntium ſuppetẽtiumq́ iugis fructus educentium natura permaneret: fructus porrò propter animalia atque hominem. Reliquum nunc eſt, ut diſpiciamus, utrum rationis expertium natura propter ſe, an propter hominem educta ſit. At abſurdum nimirùm ſit, prudentiæ expertia, & ſolo motu uiuentia naturali, non etiam rationis, & prona in terram ſpectantia, ſeruitutem corporis figura ipſa demonſtrante, propter ſe dicere procreata. Verumenimuero quum tam multa ſint, quæ propoſito noſtro poſsint comprobando conuenire, ut præ multitudine propè peculiarem tractatum ſibi deſiderent, & ne orationis longitudine à propoſita digrediar materia, breui quidem, ſed opportuna hæc complecti conuenit narratione. Si igitur, tanquam in ſimulachro, ea, quæ in homine ſunt, & extra hominem, inſpexerimus, ex ipſa quæſitorum eſſentia demonſtrationes ſanè eliciemus. Perſpiciamus itaque irrationalem in anima noſtra partem, & eius ſpecies, appetitum inquam, & furorem, quæ rationi obedientia data ſunt, ut hæc quidem imperet, illa uerò ſub imperio ſint: hæc iubeat, illa obediant, ac ad uſum ſe ſuggerant, quem ratio dictauerit, ubi homo ſuam conſeruarit naturam. Quòd ſi, quæ in nobis irrationalia ſunt, rationi ſummittit, eiſq́ dominatur

minatur: cur demum iniquum ſit rationis expertibus animalibus rationem dominari, & in ipſius uſus dari, quæ uſus ratione careant? Natura ſiquidem imperãte rationis expers rationi ſubſtructum obtẽperat, ueluti ex his quæ in nobis ſunt demonſtratum: idq́ multorum nobis animalium oſtendit exhibitio ad obediendum homini appoſitè procreata: uelut boues, & iumenta omnia ad agriculturam, & ad onera ſubuectanda: uolucresq́ multæ, item aquatica, & terreſtria animalia ad fruendum homini expoſita ſunt, cantitantia & ad oblectationem, & quietem præbendam. Quòd ſi non omnia ad huiuſmodi uſus ſuggeruntur, ſed quędam in hominis nata uidẽtur exitium: ſciendum, ut quæ propoſuimus ad obediendũ genita ſunt: ita alia omnia ad remedia ægritudinum eſſe comparata, ne quid creationi deeſſet eorum, quæ in uſus aliquos gigni conueniſſet. igitur ne ipſa quidem hominis commodum prorſus effugerunt, uerùm & mortifera ad propriam ratio uſurpat utilitatem, ipſisq́ abutitur ad inſeruiẽdum, quæ de illis exierit, læſioni, & aliarum ualetudinum medicamini, cuiuſmodi remedia theriacæ nominantur: quas ratio intellexit, ut propter illa ipſis dominaretur, ac quò id in hoſteis iuuaret ſuperiores. Infinita autem habet, quibus illorum uires homo poteſt oppugnare, quæ à creatore deo data ſunt ad illorum clandeſtinas uires impediendas, & ulciſcendas, & corrigendas: & alia ſanè

aliјs

alijs sunt concinna usibus. Itaqꝫ constat ad communem hominis cultum cuncta esse producta, & quædam ne in alios quidem usus utilia. Atque hæc utpote de præsenti humanæ uitæ statu dicta sint.

Quum itaque in homine nihil ratione sit antiquius, nullum aliud animal hominem ausus est offendere: sed ei seruiũt omnia, & subijciuntur, & obediunt, quandiu domesticis perturbationibus, & irrationali parti imperarit. quòd si affectibus non dominabitur, sed ab illis teneatur, iure ab externis cohibebitur feris: comitatur siquidem peccatum, & ab illis offensio. quod sanè uerum esse, nobis licet intueri ex his, qui optimam uitam peregere. boni enim illi ferarum sine controuersia præuenerũt insidias, sicut leonum quidem Daniel, uiperæ uerò attactum Paulus. Quis igitur dignis huius nobilitatem animalis laudibus prosequi potuerit? quod intra se mortalia immortaliaqꝫ complectitur, quod irrationalia rationalibus coniungit, quod omnifariæ creationis in sua natura claudit, fertqꝫ simulachrũ. quamobrem & paruus mundus homo nominatur. tam eximia, diuina prouidentia, dignitate donatus, propter quem omnia præsentia, quæqꝫ futura sunt, propter quem deus homo factus est, qui ad incorruptionem desinit, mortalia diffugit, qui globis imperat cœlestibus, ob dei quam nactus est similitudinẽ: cum Christo uiuit: dei filius est: omnem dominatum, omnem lautitiã proculcat. quis tanta eloquentia est,

tia eſt, ut huius poſsit animalis tam inſignem oratione complecti rerum exuberantiam? quòd maria peragrat, cœleſtes globos ſpeculatione tranſcendit, aſtrorum motus, & interualla, & dimenſiones satagit, atque attractat: terra fruitur & mari, feras & cete contemnit: omnem ſcientiam, & artem corrigit: extorrem, quibus uult, literis, uerbisq́ reconciliat: nullo corporis cohibetur impedimento, futura prænunciat, cunctis imperat, cunctis dominatur, cunctis fruitur: cum angelis, cum deo colloquitur: creatis à deo iubet, dæmonibus præſcribit, rerum naturam exquirit, à deo ſuſcitatur, domus & templum dei gignitur: & hæc omnia uirtutibus comparat, atq; pietate. Sed ne aliquibus hominis laudem inſolenter ſcribere uelle uideamur, non eius naturã (ut propoſuimus) edere, de ipſo iam plura loqui deſinamus: licet eius naturæ copiam in primis proferentes naturam quoq; enarrauerimus. Quum itaq; quantam conſecuti fuerimus nobilitatem, cognoſcamus, ac ut ſeminium cœleſte ſumus, ne noſtræ pudori naturæ ſimus, ne tam præclarorum munerum nos indignos conſtituamus, ne noſmet tanta rerum affluẽtia, & gloria, & beatitudine priuemus, ne exiguo temporis curſu, & breui uoluptate cunctorum ſeculorum fructum amittamus: ſed honeſtis actionibus, malorum abſtinentia, & iuſti, & æqui conſideratione, & obtentu, quo diuinitas in primis nobiſcum aſſueſcit, ſicut & ob preces, hanc noſtram

nobilit

nobilitatem nobis conſeruemus. Sed de his quidem ſatis. Denicp quum ex anima & corpore hominem conſtare, ut oſtenſum, communis omnium ſit opinio, nos iam quæ reſtant, proſequamur, primùm de anima tractantes, ualde tenuia, ac minutatim deſcripta, & à multis difficulter intellecta exquirentibus relinquamus.

DE ANIMA.

CAP. II.


E ANIMA ueterum propè omnium inter ſe diſſentit oratio. Democritus em̃, & Epicurus, & totum Stoicorum philoſophorum concilium, corpus animã eſſe definiunt. Et illi ipſi corpus animam definientes de ipſius locuti eſſentia inter ſe planè differunt: Stoici ſiquidem eam ſpiritum putant calidum, & ignitũ: Critias uerò ſanguinem: Hippon autem philoſophus aquam: Democritus porrò ignem: globoſis ſiquidem figuris atomorum igni, aërecp concretis animam putat abſolui: Heraclitus uniuerſi quidem animã ab humidis exhalationẽ exiſtimat: in animalibus autẽ ab extrinſeca, & ab ea, quæ in ipſis eſt animalibus, exhalatione eiuſdem generis animas naſci. Eorũ porrò qui corporis expertem animã eſſe aiũt, propè in infinitũ differens creuit opinio, aliorũ quidem eſſentiam eſſe, & eam immortalem diſſerentiũ: aliorum uerò incorporeã quidem, ſed non eſſentiã,

neq; immortalem. Thales igitur primus animã dixit semper mobilem, & sese mouentem: Pythagoras numerum se mouentem: Plato essentiam intellectiuam ex sese motabilem iuxta numerum harmonicum: Aristoteles primam entelechiã uocat corporis, naturalis instrumenti in potentia uitam habẽtis: Dinarchus quatuor elementorũ harmoniam, hoc est, elementorum mixturam, atq; consonantiã: non utiq; ex sonis constitutam, sed in corpore calorum, & frigorum, & humorum, & siccitatum harmonicã mixturam, atq; consonantiam uoluit intelligi. Non dubium autem, quin horum honesti animam essentiam esse uoluerint. At Aristoteles, & Dinarchus essentiæ expertem putauerunt. Prætereà & horum alij unam, & eandem omnium animam censuerunt, in singula distributã animalia, & in se rursus coëuntem, sicut Manichæi: Alij uerò multas, & inter se specie differentes: Alij autem unam, & multas. Quòd si uelimus omnium opiniones refellere, nobis longissimè orationem producere necesse sit. Communis igitur aduersus omnes animam corpus facientes in Amonium Plotini magistrum, & Numinium Pythagoricum erit confutatio: quæ sanè est huiusmodi: Corpora natura suapte nutritibilia sunt omnia, & dispersa, & omnifariam secabilia: relicto in ipsis nihil quod componente, & cogente non indigeat, & tanquam constringente, ac ipsa continente, cuiusmodi ani-

mam

mam esse dicimus. Si itaque corpus est anima, quale'nam erit? quòd si in tenuissimas partes secabile, quid porrò est, quod ipsam contineat animam? ostensum enim est omne corpus aliquo continente ipsum indigere, ac ita in infinitum, quousque ad id peruenerimus, quod corpore uacuum sit. Quòd si dixerint, sicut Stoici, concinnum quendam esse circum corpora motum intrinsecus, pariter & extrinsecus mouentem: & extrinsecus quidem magnitudinum, & qualitatum effectorem esse: intrinsecus autem copulæ, in unumq; coniunctionis, & essentiæ: locus hic erit sciscitandi. Quandoquidem ab aliqua ui omnis est motus: quænam demum hæc ipsa uis est? & in quonam, ut nunc ita loqui permittar, substantiatur? Quòd si ea uis materia est, quam Græci hylen uocant, nostri modò syluam, modò materiam, eisdem rursus utemur rationibus. sin autem non materia, sed materiatum: aliud sanè materiatum, & aliud materiam esse certum est: nam quod cum materia participat, id materiatum dicitur. quidnam igitur est, quod cum ipsa participat materia? utrum & illud ipsum materia est, an sine materia? quòd si materia, quo pacto materiatum, & materia est? sin autem non materia, uacuum materia igitur est. Quòd si expers materiæ est, corpus non est. omne siquidem corpus materiatum est. Quòd si aiunt ideo corpus uideri animam, quòd corpora treis habeant dimensiones, anima uerò per

totum corpus diffuſa ſit: ipſam itaque treis habere dimenſiones,& perinde certò corpus eſſe dicẽdum: quandoquidem omne corpus tribus conſtet dimẽſionibus. Atqui non omne tribus conſtans dimenſionibus eſt corpus. ſiquidem locus,& quale,incorporata quum ſint per ſeſe, per accidens tamen in magnitudine ſub quantitatem cadunt. Ita igitur & animæ ipſi quidem natura ſuapte accidit nullis diſtingui dimenſionibus. Per accidens uerò,quum in quo concluditur,trinis cõſtet dimẽſionibus, ipſam quoque trina conſtare dimenſione contemplabimur. Prætereà aut extrinſecus mouetur, aut intrinſecus: ſed ſi extrinſecus, inanimatum erit: ſin intrinſecus, animatum. Quòd ſi corpus anima eſt, & ipſa extrinſecus mouetur, inanimata eſt: ſinautem intrinſecus, animata. Abſurdum autẽ ſit ſiue inanimatam, ſiue animatam dicere animam. non igitur eſt corpus anima. Item, anima ſi alitur, ab experte corporis alitur, diſciplinæ nanq; ipſam alunt: nullum enim corpus ab re alitur incorporea. non ergo corpus anima. Xenocrates nanque ita cõcludebat. quòd ſi non alitur: omne autem animalis corpus alitur. corpus igitur anima non eſt. Et hæc quidem ſatis aduerſum eos, qui corpus animam faciunt.

Separatim uerò aduerſus eos, qui opinantur ſanguinem & ſpiritum eſſe animam: quòd ſanguine, & ſpiritu amoto extinguatur animal. Nec illud dicendum eſt, quod nonnulli ita arbitrati ſcripſerũt,

quum

quum pars ſanguinis è corpore effluxerit, animæ quoque partem effluere. futilis ſiquidem eſt huiuſmodi ratio. nempe in his quæ partium coniunctione ſibi ſimilia ſunt, pars omnis à reliquis deſecta idem cum toto eſt, ſicut aqua & multa, & paucißima: itidem & argentum, & aurũ, & prorſus omnia, quorum partes in eſſentia inter ſe inuicem nõ commutantur. ita igitur & relictus ſanguis, quantuſcunque fuerit, anima eſt, ſi modò anima eſt ſanguis. Sed illud magis aſſerendum: ſi id anima eſt, quo ſublato moritur animal, omnino & phlegma animam eſſe, & biles ambas. quodcunque enim horum defecerit, uitę exitium adducit. itidem & iecur, & cerebrum, & cor, & ſtomachus, & nerui, & inteſtina, aliaq́ multa: horum ſiquidem quocunque ablato animal abolebitur. Alioqui multa quidem ſine ſanguine ſunt, ueruntamen animata, quemadmodum piſcium genera ſquammis carẽtia, & mollia, cuiuſmodi ſunt ſepyę, teuthides, & ſmyli, & cuncta tegmine corticeo, & molli cruſta, ut carabi, cancri, & aſtaci. quòd ſi hæc animata quidem ſunt, at ſanguine carentia, non dubium quin non ſit ſanguis anima. Contra illos uerò, qui aquam animã eſſe dicant, quòd cunctis animantibus uitam aqua præbere uideatur, & abſque aqua uitam agere ſit impoßibile, multa obijci poſſunt. Ne quidem abſq́ nutrimento uiuere poßibile eſt. nutrimenta igitur in ſingulis omnia, ſi illos ſequimur, animam dicendum

dum erit. Deinde multa ne quidem bibentia animalia ſunt: ueluti de quibuſdam aquilis denarratur: & ſine potu uiuere utique perdix poteſt. propter quid igitur potius aqua anima eſt, ac non aër? aqua ſiquidem poſsibile ut plurimùm abſtineri: ab aëris autem reſpiratione ne breuiſsimo quidẽ tempore poſſumus deſiſtere. at ne quidem aër anima: multa enim animata ſunt, quæ aërem non ſpirant, ſicut inſecta omnia: uelut apes, & ueſpæ, & formicæ, & cætera huiuſmodi ſine ſanguine: necnon marina quoque multa, & cuncta pulmone carentia: nihil enim pulmone carens aërem ſpirat, & ediuerſo nihil aërem non ſpirans pulmonem habet. At quoniam Cleantis Stoici, & Chryſippi quædam habentur rationes nequaquam contemnendæ, producendæ ſunt cum ſolutionibus, quas Platonici attulerunt. Cleantes igitur huiuſmodi ſyllogiſmum texit: Non ſolùm, inquiens, corpore parentibus noſtris ſimiles gignimur, ſed etiam animæ perturbationibus, moribus, affectionibus. atqui corporis proprium eſt ſimile, ac diſsimile, non autem rei incorporeæ. ergo anima eſt corpus. Sed hoc falſum eſt. numeros enim ſimiles dicimus, quorum latera ſunt analoga, ut ſex & uigintiquatuor. latera nanq; ſenarij numeri ſunt duo, & tria: uigintiquatuor autem numeri, quatuor, & ſex. proportionem habent utiq; duo ad quatuor, tria uerò ad ſex, quæ in duplari ſpeculatione dignoſcitur: quatuor ſiquidem

dem ad duo,& sex ad tria in dupla proportione sibi referuntur, atque incorporei sunt numeri. Figuræ porrò figuris sunt similes, quæcunque angulos æquales habent,ac ad æquales lateribus angulos proportio est. atqui figuram ipsi quoque incorpoream esse non diffitentur. Præterea, sicut quanti proprium est æquale,& inæquale: ita & qualis simile, & dissimile. incorporeum autem est qualitas. incorporeũ igitur incorporeo simile est. Illud quoque aiunt, nihil incorporeum unà cum corpore pati, neque cum incorporeo corpus. patitur autem unà cum corpore anima ægrotante, & cæso, & corpus cum anima: pudore nanque suffusa anima,rubescit corpus:& metu perculsa,pallescit. corpus ergo anima est. Sed eorum quæ assumuntur alterum falsum est, ita assumptioni adhærens nihil incorporeum unà cum corpore patitur. cur nam,si modò hoc soli animæ conueniat? Hoc perinde est ac si quis dicat:Nullum animal maxillam mouet superiorem. at crocodilus maxillam mouet superiorem. non ergo animal est crocodilus. Est igitur falsa propositio, sicut hæc quæ ait, Nullum animal superiorem maxillam mouet. nam ecce tibi crocodilus & animal est, & maxillam mouet superiorem: idem est propemodum quæ dicit, nihil incorporeum unà cum corpore pati. assumitur enim certum,de quo quæritur, in abnegatione. Quòd si quis etiam uerum esse concesserit, nihil incorporeum unà pati cum corpore: quod tamen

ſequitur, nondum admiſſum eſt, ut anima unà cum corpore patiatur ægrotante, & cæſo. ambigitur ſiquidem corpus'ne ſit ſolum, quod doleat, ab anima accipiens ſenſum, ubi ipſa demum expers ſit doloris, ſiue unà cum corpore doleat. Et ualet, ac apud claros eruditione uiros, quæ præpoſita eſt, potior habetur ſententia. Nec oportuit ex ambiguis ſyllogiſmum connectere, ſed ex confeſsis: alioqui ſuperfluè demonſtratur incorporea quædam unà cum corporibus pati. nam ecce qualitates quum ſint incorporeæ, affectis corporibus, ipſæ quoq; afficiuntur, in corruptione, & generatione unà cum corpore cõmutatæ. Chryſippus autem, Mors eſt, inquit, animæ à corpore ſeparatio. nihil autem incorporeum à corpore ſeparatur: quandoquidem ab incorporeo corpus non tangitur. at anima & contingitur, & ſeparatur à corpore. non ergo incorporea anima eſt. enimuero animæ à corpore ſeparationem mortem eſſe uerum eſt. Sed incorporeum à corpore non contingi, generaliter quidem dictum, falſum eſt; de anima autem, uerum; falſum quidem, quòd linea quum incorporea ſit, à corpore tamen tangitur, atq; ſeparatur: ſimiliter & albor. De anima autem, uerum; non enim à corpore anima tangitur. ſi enim tangatur, non dubium quin ipſi adhęreat corpori. Id ſi ita ſit, non toti adhærebit; impoſsibile ſiquidem eſt corpus corpori, totum toti adhærere. atque ita non utique totum erit animatum animal.

Proinde,

Proinde, ſi tangatur, corpus quidem erit anima, ſed totum non erit animal animatum. quòd ſi totum animatum eſt, neque tangitur, neque corpus eſt anima. atqui animal totum eſt animatum. non ergo tangitur, neque corpus eſt anima: & ſeparatur, utpote quæ incorporea eſt. Quòd itaque non ſit corpus anima ex prædictis ſatis conijci poteſt. Quòd autem eſſentiæ expers non ſit, deinceps uideamus.

Quoniam Dinarchus animam harmoniam eſſe definiuit, & Simmias Socrati contradicens animam harmoniam eſſe profeſſus eſt, inquiens, animã quidem uideri harmoniam, corpus uerò lyram: referendæ huius quæ apud Platonem in Phędone ſunt ſolutiones. Vna igitur eſt ex eis, quas ſibi aſciuit cõceſsionibus, quòd diſciplinæ, reditiones in memoriam, ut uerò nunc loquuntur multi, reminiſcentiæ ſunt. quod ſanè tanquam ab alijs conceſſum ſibi aſſumens ſuam hoc pacto aſtruit rationem: Si diſciplinæ, reminiſcentiæ ſunt, noſtra erit anima antè, quàm in humanum corpus demittatur. quòd ſi harmonia eſt, prius quidem non fuit, ſed poſterius genita eſt, corpore in harmoniam coëunte. Omnis enim cõpoſitio non aliter habet, quàm illa habeant, ex quibus conſtat: ſiquidem compoſitorum communicatio quædam eſt compoſitio, quæ eſt harmonia. atqui nihil prohibet ipſam illorum non exiſtimari, à quibus compoſita ſit, ſed illa conſequi putandum. pugnant hæc igitur inter ſe, & animã harmoniam

moniam eſſe, & diſciplinas eſſe reminiſcentias. at quod de reminiſcentijs dictum, uerum eſt: falſò itaque creditur animam harmoniam eſſe. Præterea, corpori anima aduerſatur, & primas gerit ratione: utpote quæ ipſi corpori dominatur. harmonia uerò neque ducem ſe præbet, neque aduerſatur. non igitur anima harmonia eſt. Rurſus, harmonia quàm ut alia ſit harmonia, magis, & minus eſt harmonia, idq; dum remittitur, atque intenditur, non harmoniæ inſpecta ratione (nam rationem magis, & minus admittere impoſsibile eſt) ſed concinnentiæ: quum enim ploſus acutus, aut grauis fuerit ſonus, deinde abſolutus, eandem in ſonorum magnitudinibus ſeruant rationem. at mutationem in contactu, & ſonorum copula capit magis ac minus, intenſa: anima autem non eſt magis, & minus quàm alia anima. non ergo harmonia anima. Præterea, anima uirtutem, & uitium ſuſcipit: harmonia autem concinnentiam, & inconcinnentiam non ſuſcipit. non ergo harmonia anima. Item, anima in excipiendis per partes contrarijs eſſentia quidem eſt, atque ſubiectum. at harmonia qualitas, & in ſubiecto: atqui eſſentia à qualitate diuerſa eſt. ergo harmonia ab anima aliud eſt. nempe harmoniæ participem animam eſſe non eſt alienum: ueruntamen ob hoc harmonia neutiquam eſt. nec enim ideo anima uirtus eſt, quòd uirtutis ſit particeps, atque eam excipiat. Galenus autem nihil definit, quinimò ſe nihil de anima demonſtraturum

ſtraturum in Demonſtratiuis teſtatur orationibus: ueruntamen, ut ex eius colligitur uerbis, animam temperamentum quoddam eſſe potius uiſus eſt approbaſſe. quod ſanè morum differentiam conſecutam ex his, quæ in Hippocrate interpretando habuit, uerbis, licet nobis intelligere. Quod quum ita ſit, non dubium quin mortalem ipſam eſſe cenſuerit: non quidem omnem, ſed irrationalem tantùm hominis animam. nam de rationali ambigit, ita ferme inquiẽs: Quod ſanè corporis nequit temperamentum, corpora ipſa efficiunt. at ſi corporis temperamentum eſt anima, nihil erit inanimatum. atque ita ratio colligitur: ſi corporis temperamentum anima eſt, quum omne corpus temperamento cõſtet, omne corpus animam habet. ſi autem omne corpus animam habet, nullum corpus eſt inanimatum. neque igitur lapis, neque lignum, neque ferrum, necꝫ quicquam aliud erit inanimatum. Quòd ſi non omne prorſus temperamẽtum corporis animam eſſe ait, ſed tale aliquid: hîc percunctandum erit, qualenam hoc temperamentum putet, quod animal faciat, & animæ rationem complectatur. qualecunque autem dixerit temperamentum, tale in corporibus inueniemus inanimatis. Nam quum nouem temperamentorum ſint ſpecies, ut ipſe in libro de Temperamentis atcꝫ mixtionibus demonſtrauit, octo quidem ſunt difficilia temperamenta: unum uerò facile. porrò hominem apto tempera-

tum esse temperamento ait: & ne ipsum quoque omnino, sed medio quodam temperamento: secundum alia uerò distemperamenta cætera animalia, & quælibet in sua specie, in maiore, ac minore remissione, & intentione temperata esse. Est planè etiam in inanimatis nouem inueniri temperamenta, & ea quidem magis ac minus, ut ipse rursus in simplicibus demonstrauit. Præterea, si anima temperamẽtum est: temperamenta uerò immutantur secũdum ætates, secundum tempora, secundum uictus: anima quoque immutabitur. quòd si immutatur, non eandem semper habemus animam, sed prout ipsum fuerit temperamentum, modò quidem leonis, modò autem pecoris, modò alius cuiusuis: quod certè à ratione ualde alienum est. Item, corporis temperamentum cupiditatibus non responsat, atq; aduersatur: sed potius unà cum ipsis operatur: nam & ipsum cum illis communicat. anima uerò aduersatur. non ergo temperamentum est anima. Præterea, si anima temperamentum est, quum temperamentum sit qualitas, & qualitas adsit, & absit præter subiecti corruptionem, id quoque de anima utique uerum sit: sed falsum est. non ergo temperamentum, & qualitas est anima. nemo autem animal in opposita mutari naturaliter putat: sicut non mutatur in igne calor: est enim ab eo immutabilis. at mutabile est uideri temperamentum: quinimo illi ipsi sunt, qui arte medicina temperamenta permu-

tant. Et rursus, omnes corporis qualitates sensibiles sunt: anima autem non sensibilis, sed intellectibilis est. non ergo qualitas incorporea anima est. Praeterea, sanguinis, & spiritus cum adiunctione corpulentiarum, & neruorum, & aliorũ id genus aptum temperamentum fortitudo est: & calorum, & frigorum, & siccitatum, & humorum congruum temperamentum sanitas est. membrorum quoq; apta cum coloris decore moderatio uenustatem efficit corporis. Quòd si ualetudinis conuenientia, & roboris, & uenustatis anima est, necesse erit uiuentem hominem neque ægrotare, neque debilitari, neque deformem esse. atqui sæpenumero accidit non horum unum modò, uerumetiam simul hæc tria temperamenta dissolui, & tamen hominem uiuere. euenit siquidem ipsum pariter deformem esse, & imbecillem, & ægrotum. non ergo corporis temperamentum est anima. Cur igitur, inquiunt, & quædam uitia, & uirtutes homines consequuntur? idq; ex corporis temperie certò gignitur? Quemadmodum enim sani, & ægroti naturaliter ex temperie sunt: ita quidam naturaliter acres bile existentes iracundi sunt, alij meticulosi, alij feroces. sed aliud est cohibens, aliud non cohibitum. aliud ergo temperamentum, & aliud anima est. Nam quum sit animæ instrumentum corpus, quum ipsum se apposite comparauerit animæ, cum ea ad agendum peruenit, & ipso ea apposite utitur: quum autem peruerse

peruersè, impedit claras actiones, ac tum animæ opus solertia est instrumenti insultationem debellaturæ: & nisi se ualde continuerit, & in diuersum ipsum conuerterit, atque prius stabiliuerit, perinde ac musicus in fidis peruersione, oberrabit, & pariter delinquet. Quamobrem diligentia animæ opus est in corpore coërcendo, quò suum sibi accommodet instrumentum. id autem facit tum ratione, tum assuetudine: ueluti in harmonia, alia quidem remittens, alia uerò intendens, ut concinnum ipsum sibi comparet, &, quum opus fuerit, idoneo utatur instrumento. quod nisi fecerit, ipsa quoque cum illo subuertetur: nam ita aliquando euenit. Aristoteles animam entelechian appellans, nihil magis animæ confert, quàm qui ipsam qualitatem putant. At excutiamus primùm quid sit, quod entelechian uocat. Essentiam sanè trifariè putat appellandam: uno modo, ut syluam subiectum, quæ per se quidẽ nihil est, sed uim ad generationem habet: altero ut formam, & speciem complectitur, per quam sylua species efficitur: tertio autem utrunque quod ex sylua, & specie genitum id reliquum animatũ esse. Est igitur quidem sylua uis, ac facultas: species autem, entelechia. & hoc dupliciter: uno quidem modo, ut scientia: altero autem, ut cum scientia speculari: id est, hoc quidem, ut affectio: illud uerò, ut actio. scientia nimirùm ipsa media, ita propemodum ut in anima somnus est, & uigilia. analogum autem

est

est uigilia, & speculari: & somnus cum eo quod est habere, & non exercere. Prima est actionis scientia, ideo speciē primā uocat entelechian: secundā, actionem: ut est oculus, qui ex subiecto est, & specie. & est alterum quidē in ipso subiectū, alterum uerò suscipiens uisum oculi sylua: sed uocatur etiā ipsa æquiuocè oculus. at species & prima oculi entelechia eadem est quæ uisus, qui uidendi facultatem ipsi planè suggerit. Secunda uerò entelechia est oculi actio, per quam uidet. Quemadmodum igitur nuper editus catulus neutram habet entelechian, potentiam uerò suscipiendi entelechian habet: ita de anima accipere oportet. nam sicut illic genitus uisus oculum utique absoluet: ita hîc genita in corpore anima animal perficiet: ut neque sine corpore esse unquam posſit anima, neq; etiam corpus. corpus enim non est, sed corporis: & ob hoc in corpore existit, & in tali sanè corpore: nam per se non existit. Primùm itaque paſsiuam animæ partem, animam uocat, rationalem eius partem separans. Sed oportuit omnē simul hominis animam comprehendere, & non à parte: quandoquidem imbecilliſsimi sunt hęc de toto uolentis ostendere. Deínde ait corpus potentia uitam habere, & antè quàm gignatur anima. ait siquidem corpus in se potentia uitam habere. Sed necesse est, corpus quod in potentia uitam habeat, prius actu esse corpus. atqui ante susceptam speciem actu corpus esse non potest: sylua enim sine

qualitate eſt, & non corpus. impoſsibile igitur id, quod actu nondum ſit, potentiã habere ad aliquid ex ſe gignendum. Quòd ſi corpus in potentia eſt, quo pacto in potentia corpus, in ſe uitam habere in potentia poteſt? alioqui in alijs certè poſsibile ſit habere aliquid, & eo non uti: ſicut quum quis uiſum habet, nec eo utitur. quod animæ profectò euenire impoſsibile eſt. neque enim dormiens ſine animali actione eſt: ſiquidem nutritur, & augetur, & imaginatur, & reſpirat: quod præcipua uitæ eſt coniectura. Ex his igitur certum eſt, quòd potentia uiuere, adeſſe cuiquam non poteſt: ſed actionem prorſus adeſſe neceſſe eſt. propoſito enim animam ſpeciem facere, nihil aliud eſt, quàm uitam eſſe. in anima enim inſita uita eſt: corpori uerò ad ipſum continendum, atque comprehendendum data eſt. qui ergo ait ſanitatem analogon eſſe uitæ, non animæ uitam dicit, ſed corporis: atque ita ſapiens uideri uult. Enimuero corporalis eſſentia per partes contrariorum eſt ſuſceptiua, ſed quæ ſecundum ſubiectum, hoc eſt, quæ eſt corporalis. nullo igitur modo poteſt anima entelechia corporis eſſe, ſed eſt perfecta corporis expers eſſentia: per partes enim ſuſcipit contraria, uitium, & uirtutem, quod ſuſcipere ſpecies non potuit. Deinde quum anima, inquit, entelechia ſit, per ſe immobilis eſt: mouetur autem per accidens: neque uerò inconueniens uideri debet ipſam immobilem eſſe, & ab ipſa nos moueri. nam

& uen

& uenuſtas, quum ſit immobilis, nos mouet, & non immobile mouet. Quòd ſi igitur & corpus per ſeſe motum habuit, non erit alienum ipſum moueri ab immobili. atqui immobile ab immobili moueri impoſsibile eſt. unde igitur corpori moueri acciderit, niſi ab anima? non enim ſeipſum mouet corpus. Primam itaque motus genituram uolens demonſtrare, non primam, ſed ſecundam demonſtrauit. nam ſi immotum mouebat, primum faciebat motũ: ſin autem à ſeſe motum, alioqui mouet, ſecundi motus facit genituram. Sed unde nam corpori prima motus eſt generatio? nam quòd ait à ſeſe elementa moueri, quæ leuia ſunt, quæq́; grauia, falſum eſt. ſi enim grauitas, & leuitas motus ſint, nunquàm conſiſtent grauia ac leuia. atqui conſiſtunt, quum ſuum ceperint locum. non ergo grauitas, & leuitas cauſa primi motus eſt, ſed elementorum ſunt qualitates. quòd ſi hoc dederimus, quonam pacto ratiocinari, & opinari, & iudicare, leuitatis, & grauitatis opera eſſe poſſunt? quòd ſi non horum, ne quidem elementorum: quòd ſi non elementorum, ne quidem corporum. Prætereà, ſi per accidens mouetur anima, corpus autem per ſe, licet anima abfuerit, per ſe tamen mouebitur corpus. at ſi hoc, animal etiam abſq; anima erit. inſulſa autem hæc ſunt. inſulſum igitur & quod à principio ſumptum eſt. Sed ne illud quidem uerum eſt, quod ait, omne natura motum etiam per uim moueri, & omne per uim motũ

etiam natura moueri: mundus enim natura motus, per uim non mouetur. rursus, necp si quid per naturam moueatur, id etiam per naturam quiescit. mundus siquidem & sol, & luna per naturam mota, per naturam quoque quiescere impossibile est. eodem modo & anima per naturam mota, per naturam quiescere non potest. si enim sit quies, corruptio utique sit animæ, & omnis quod semper moueatur. Sed interim & illud necdum solutum est, quod à principio in quæstione fuit, unde corpora contineantur, natura suapte genita, ut dispergantur. Hæc ex multis sufficiant ad demonstrandam animam, neque entelechian esse, neque immobilem, neque in corpore genitam. Pythagoras autem per comparationem & deum, & cuncta alia numeris semper adsimilare solitus, definiuit etiam animam numerum seipsum mouentem. cui sanè Xenocrates quoque astipulatur: non quòd numerus sit anima, sed quòd inter numeros deputetur, ac multiplicationes, atque quòd res anima discernat. Quocirca non usquequaque à communicatione eorum, quę in numeris sunt, uidebitur abalienari. At & ipse quum ait, numerum se ipsum mouentem, numerum non esse attestatus est. Quòd non sit numerus, hinc nobis certum licet intueri, quòd numerus quidem quantum est, anima uerò non quantum, sed essentia est. non ergo numerus anima. Quanquàm & numerum præcipuum inter intelligibilia
essen

essentiam esse uolunt: ut deinceps dicemus. Præterea, anima continua est; numerus uerò non continuus est. non ergo numerus anima. Rursum, numerus aut par est, aut impar: anima uerò neq; par, neque impar. non ergo numerus anima. Numerus quoque additione augetur: anima autem additione non augetur. Anima item seipsam mouet: numerus uerò definitus est immobilis. Præterea, numerus unus & idem manet: nec ulla numeris ingenita qualitas potest commutari. anima uerò una & eadem manente essentia permutat qualitates ex imperitia ad cognitionem perueniens, & ex uitio ad uirtutem. non ergo numerus anima. Hæ denique ueterum fuere de anima sententiæ. Eunomius post illos animam definiuit essentiam incorpoream in corpore genitam, cum Aristotele, & Platone pariter conueniens. Nam quòd eam incorpoream ait essentiam, id à Platone mutuatur: in corpore autem genitam, ex doctrina eruit Aristotelis: non satis aduertens (quanquàm alioqui acutus) quòd sibi inuicem repugnantia in unum tentat componere. omne siquidem generationem habens corporalem pariter & temporalem, corruptibile est, & mortale. His etiam Moysis assentitur opinio. sensibilium nanq; describens generationem rationaliũ naturam osten dẽdam disertè duxit. Cæterùm assimilantes quidã hoc opinati sunt: quibus non omnes accedunt. Si quis autem, ex quo generatio corporis fuit, editam

animam putat, à uero aberrat. Neque enim Moyses tum ipsam exponi dicit, quando corpori iniecta est: neque secundum rationem ita habet. aut igitur mortalem ipsam dicat, ut Aristoteles eam in corpore gigni asserens, & ut Stoici: aut essentiam incorpoream dicendo in corpore creatam ita dicere excusetur: quò animæ intelligentiam in nobis non constituat mortalem, & omnino irrationalem. alioqui, uelut ipse arbitratur, necdum plenus est mundus, sed etiam nunc semiperfectus est, & additamẽti continuè ac semper egens: cui saltem quinque milia, & nihilominus uno quôque die intelligibilium nascuntur essentiarum. & difficilimũ fore, ut quum efficaci opera fuerit absolutus, tum in se non dissoluatur absolutis hominibus ad resurrectionem animarum numerum complentibus. Quo quidnam irrationabilius sit, quàm dicere tum demum corruptum iri mundum, quum plenus fuerit? quis enim infantium puerorum hic modus sit? in arena pueritiam, quum primùm plenus fuerit mundus eorũ, qui geniti sint, euestigio confundi. Hoc autem dicendo, prouidentię, nõ creationis ratione nunc animas procreari putat: non utique nouam essentiam aliam præter eam, quæ fuerit induci, sed eam ipsam demum, quæ fuerit multiplicari: quòd creationis, & prouidentię differentiam planè ignorantium est. Prouidentiæ siquidem suum est, corruptorum animalium essentiam conseruare, non per putrefactionem

nem

nem inquam genitorum: quandoquidem horum successionem putrefactio semper altera conseruat. at illud potissimum creationis suum est ex his, quæ nusquam sunt, aliquid conficere. Proinde si ex alterna animæ nascuntur generatione, prouidentiæ ratione gignuntur, & corruptibiles sunt in cæterorum morem, quæ ex generis successione gignuntur. Quòd si ex his quæ non sunt formantur, atque deducuntur, quod genitum, creatio est: nec illud Moysis uerum est: Quieuit deus ab omnibus operibus suis. atqui utrunque absurdum. non ergo nunc animæ gignuntur. nam & illud: Pater meus operatur non in creando, sed in prouidendo dicendum & ipsi uidetur. Apollinarius autem censet animarum ab animis partum esse, uelut corporum à corporibus, procedereq́ animam per successionem primi hominis in omnes qui ab illo, perinde ac corporalem successionem: sed neque residere animas, & ne nunc quidem gigni. Nam qui hæc dicunt, deum adulteris fautorem faciunt: quòd ab his filij procreentur. Atqui falsum etiam hoc: Quieuit deus ab omnibus, quæ cœperat, operibus, si nũc adhuc animas creat. Sed quum omnia per successionem alternæ generationis genita mortalia esse demonstratum sit: ob hoc enim gignit, & gignitur, ut corruptorum genus permaneat: hic autem mortalem esse animã, quæ ex altera generatione gignatur, aut non successione alternæ generationis animas

mas gigni dicat, necesse est. Illud autem quod dicebatur ex adulterijs ratione prouidẽtiæ genitorum, relinquamus nostra quidem sententia imperito. Quòd si de prouidentia aliquid coniectare oporteat, undecunque nouit deus omnia, nouit partum aut uitæ eius, aut sibi utile futurum: & ob hoc animam concedit. qua de re satis idonea nobis coniectura est, quod nouimus ex Vriæ cõiuge, & Dauid genitum Solomonem. Deinceps hîc iam Manichæorum, quam de anima habuere, consideremus sententiam. Hi sanè aiunt ipsam immortalem, & incorpoream, & unam solam omnium animam esse, desectam, atque decisam in unaquæque corpora inanimata pariter ut animata: & eius alia quidem plus assecuta, alia uerò minus: plus animata, & inanimata minus: plurimùm porrò cœlestia. proinde uniuersi animæ partes in uno quôque animas esse. At si indiuisibiliter ipsam diuisam esse dicerẽt, sicut in audientibus uocem: mediocre utique foret malum. uerùm ipsam animæ essentiam diuisam esse & contendunt, & quod omnium grauissimum est, eam propriè in elementis esse uoluerunt, & cum eis in corporum generatione diuisam, & rursum in id recidere: ut solutis corporibus coëat, sicut aqua diuisa, & rursus concreta, & mixta: ac purgatas quidem animas in lucem, quæ lux fuerint demigrare: à sylua uerò commaculatas, in elementa: & rursum ab elementis ad plantas, & animalia. atque ita eius

essentiam

eſſentiam concidentes,& corporalem definientes,& eam perturbationibus ſubijciẽtes, immortalem eſſe tamen profitentur: itaque & in ſibi repugnantia recidunt. Dicentes enim inſectas animas in elementa recurrere, & inuicem inter ſe commiſceri, rurſus in ipſis tranſcorporationibus (ſi mihi hoc uti uerbo cõcedatur,quod ipſi metenſomatoſin uocant) aiunt ſecundum delictorum magnitudinem puniri, ipſas unientes, & rurſus per ſubſtantiã ſeparantes. Enimuero umbras à lumine ſegregari arbitrãtur, & porrò connebulatione facta uniri: quod in natura intellectiua fieri impoſsibile eſt. nempe inter ſenſibilia umbræ eſſe putantur, utcunque eas ſeparari, & rurſus uniri dederit quiſquã. Plato autem & unam, & multas eſſe animas oſtendit: unam quidem dicens eſſe uniuerſi animam, alias autem eſſe particulares: & tum ab uniuerſi anima cuncta animata eſſe: tum priuatim ab uniuſcuiuſq; ſua. uniuerſi igitur animã à terræ centro ad uſque cœli terminos ait extendi: non utiq; per locum explicari aſſerens, ſed ſub intelligentiam cadendo: & hanc animam eſſe quæ in globoſa ſpecie uniuerſum circumagat, & contineat, & conſtringat quicquid eſt mundi corporatum. Vinciri certè corpora continentis, in his, quæ ſuprà diximus, demonſtratum eſt: idq; perficere ſpeciei effectricem animam. Porrò unumquodq; eorum quæ ſunt, ſuam uitam uiuere, & ſua corruptione corrumpi aiunt Platonici, quatenus enim cõtinetur, ac con-

ſtringitur, eatenus corpus eſſe dicitur: diſſolutum autem corruptum eſſe,& uiuere quidem omnia, ſed tamen non omnia eſſe animalia. diſcernunt nanque ab inanimatis plantas,quòd augeantur, ac nutriantur plantæ: hoc eſt,ui nutritoria,ac uegetantia ſint. Irrationalia porrò animalia à plantis ſenſu diſtinguunt: rationalia uerò ab irrationalibus ratione ſeparant: atq; ita cuncta ferè uiuere aſſerẽtes cuiuſuis naturam diſterminant.Præterea,uiuere & quæcunque uſquã ſunt inanimata habitili uita, ob id quod ab uniuerſi anima unumquodq; contineatur, ad id ſolùm ut eſſe poſsit,ac non diſſolui: hancq; eſſe animam quæ uniuerſum gubernet: & hanc particulares animas, quæ à creatione primùm genitæ ſunt immittentẽ,& ab ipſo uidelicet creatore datas ſibi leges,ꝗbus hoc gubernari oporteat uniuerſum, quas etiã fatum uocat: quo uim ad nos curãdos ſuggerãt idoneam. Memorabuntur autem hæc etiam,ubi de fato à nobis mox diſputabitur. Communiter igitur Græci omnes immortalem animam definiẽtes, tranſcorporationẽ opinantur. Circa ſpecies autem animarum differunt. alij enim unam ſpeciem rationalem aiunt, & eam in plantas, & in rationis expertium corpora permutari: alij per quoſdam dictos temporum ambitus: alij ut caſus tulerit: alij non unam animarum ſpeciem, ſed duas faciunt rationalium, & irrationalium: quidam uerò multas, & tot, quot animalium ſunt ſpecies. Præcipuè au-

tem qui à Platone fuerunt, in hac ſtabiles conſtitêre ſententia: referente nempe Platone furioſas, & iracundas, & rapaces animas, luporum, & leonum corpora ſubiuiſſe: ad incontinentiam uerò deuolutas, aſinorum & id genus aliorum corpora aſſumpſiſſe. horum aliĳ propriè auribus exceperunt lupos, & leones, & aſinos: aliĳ figuratè locutum eſſe perceperunt, huiuſmodi in hominibus animalium mores elucere. Cronius autem in eo quem inſcripſit de Iterata generatione (ita enim tranſcorporationem, id eſt, animæ tranſitum à corpore ad corpus uocat) rationales omnes eſſe uult. Itidem & Theodôrus Platonicus in eo, quem inſcripſit Animam, cunctas eſſe ſpecies. Eodem modo Porphyrius. Iamblichus uerò contra hos ſe conſtituens ſecundum animalium ſpeciem, animæ ſpeciem eſſe aſſerit, hoc eſt, ſpecies ait differentes. Scribitur itaque ab eo in libro, cuius index Monobiblon, id eſt, unicus liber, non ab hominibus ad expertia rationis animalia, neq; ab irrationalibus animalibus ad homines trãſcorporationes gigni, ſed ab animalibus ad animalia, & ab hominibus ad homines. Ac mihi quidem uidetur ob hoc melius coniectaſſe, non Platonis modò ſententiã, ſed etiam uerum ipſum: ut ex multis, & aliĳs facile eſt argumentis oſtendere, uerùm præcipuè ex his, Quòd nullus rationalis motus in rationis expertibus animantibus appareat. neque enim artes ullæ, neque diſciplinæ, neq; conſilia, neq;

uirtutes, neque intelligentiarum in ipsis quicquam est. Ex quibus certum est, rationalis animæ in ipsis quicquam non esse. quàm enim alienum sit rationis expertia rationalia dicere. Quòd si iuuenibus adhuc, atque infantibus solus irrationalis adest motus, animam tamen eos dicimus habere rationalẽ: quandoquidem, quum excreuerint, rationalem demonstrant actionem. at rationis expers nulla in ætate rationale quicquam ostendens, rationalem habebit animam? Quorsum uis hæc rationis, qua ubique, & omnino foret abusurum? Enimuero nihil à deo frustra progenitũ esse omnium consensu facilè conceditur. quòd si ita sit, superfluè rationalis anima iumentis, & feris immittetur, utpote quæ nunquàm potis sit suam operam demonstrare: foretque planè crimen præbentis, inconcinnam, & ineptam corpori animam dare. nec utique periti erat artificis ordinem, aut harmoniam huiusmodi corpori exhibere. Quòd si quis dicat moueri quidem per affectionem cum ratione animalia: ipsorum autem fabricam ad artificem actionem demonstrandam non esse idoneam: nempe ab hominibus ipsis fidem facturus: digitis nanque à manibus tantummodo ablatis, plurimas artes dicat multipliciter amoueri: nòn tamen, de quo quæritur, exoluit: manet siquidem adhuc, quod fuerat insulsum, ut deus promptam, & solertem corpori accommodans animam, superfluam, & inutilem, & exercendis ac tractandis rebus ineptam

immiserit,

immiſerit, quæ ad ſuas obeundas actiones in tota ipſorum ætate ſit impedita. Adde, quòd rationem illis demum uolunt tribuere ex incertis, & à nullo conceſsis. nempe unde per affectionem cum ratione mouentur animalia. Quantò ſatius igitur putandum productam cuilibet corpori animam accõmodari, & nihil plus per affectionem habere animalia, quàm naturalis eorum in actibus oſtendat ſimplicitas? unaquæq; enim irrationalium ſpecies animalium ſuo mouetur impulſu, ad quem à principio producta eſt, ac ita uſum, & actionem, & denique his rebus idoneam corporis fabricam obtinuit. neque per cuncta ipſa creator ita deſeruit, ut multis in rebus opem non tulerit: ſed ſingulis naturalem, non rationalem tribuit cognitionem. præbuit etiã aliquibus aſtutiam tanquam artis aliquod ſimulachrum, & rationalem umbram. His itaque duabus de cauſis hæc dedit, & propter præſentes declinandas inſidias, futuraſq; obſeruandas, & ad omnem unicuique creationem, ut dictum eſt, ſuam accommodandam. Quòd uerò abſque ratione id faciat, uel hinc manifeſtum eſt, quòd non idem quodlibet in ſua ſpecie animal cũ alterius ſpeciei animali agit: nec porrò in eorum multitudine unius ſpeciei aliquod permutat actiones, niſi ſit quod idem aliud magis, aliud uerò minus faciat. at uno impulſu tota ſpecies commouetur: omnis enim lepus pariter ſe comparat, & omnis lupus pariter pernicioſa exco-

gitat, & omnis simia pariter imitatur: quod in homine uideri non est. infinita siquidem sunt humanarum actionum diuerticula. Liberum enim quiddam est, & in sua affluens essentia, quod rationale est. Quamobrem nõ una & eadem est cunctis actio hominibus, sicut in sua cuique specie ipsis est animalibus rationis expertibus, quæ natura duce planè sola mouentur. Atqui quæ natura mouentur, ea uno modo agere apud omnes est uideri. rationales uerò actiones alię apud alios sunt, & neutiquam necessariò eædem erunt apud omnes. Quòd si quis dicat in præteritorum humanæ uitæ peccatorum ultionem id animæ inflictum esse, quò in huiusmodi corpora relegata torqueretur, à posterioribus demonstrationem facit. qua enim de causa in prius genita animalium corpora animæ demissæ sunt rationales? non ob id, quòd in humanis deliquissent corporibus? siquidem prius illuc immissæ sunt, quàm in humanum corpus. Visus nimirùm est & hanc Galenus admirandus medicus posuisse opinionem, & in unaquaque animalis specie differentem quoque animæ speciem censere: ait enim statim in principio primi libri, qui est de Vsu tractationis portionum, hoc pacto: Quanquàm animalium multæ erunt portiones, aliæ quidem magis, aliæ uerò minus, aliæ autem usquequáque in aliam speciem minimæ defectæ: ipsarum tamẽ omnium usus est anima: cuius sanè corpus est instrumentum. Ac

ob hoc

ob hoc longè inter ſe inuicem differant animalium portiones neceſſe eſt, quòd animæ quoque inter ſe differant. Sed porrò procedens in eodem libro apponit de ſimia illud: Enimuero ò ſapientiſsimè accuſarit, ac dixerit aduerſum ſe natura, riſibili animæ animalis, riſibilem dari corporis oportuit inſtitutionem. Itaque intellexit Galenus differentibus ſpecie animalibus differẽtes coniunctas eſſe animas. & de his quidem hactenus. Proinde, ſi animam demonſtrauimus neque corpus eſſe, neque harmoniam, neque temperamentum, neq; aliam aliquam qualitatem, ex his, quæ propoſita ſunt, manifeſtum eſt eſſentiam quandam incorpoream animam eſſe: ueluti iam apud omnes receptum eſt. Quòd ſi neq; corpus, neque accidens, non dubium quin incorporea ſit eſſentia, & eorum, quæ in alio eſſe dicuntur, nihil. ea ſiquidem & adſunt, & abſunt præter ſubiecti corruptionem. atqui ſeparata anima corpus omnino corrumpitur. Eiſdem porrò uſuri argumentis, immortalem animam eſſe, facilè oſtendemus. nam ſi neque corpus eſt, quod natura diſſolubile, & corruptibile oſtenſum eſt, neque qualitas, neq; quantitas, neq; corruptibile quicquam aliud: non dubium quin ſit immortalis. Multæ profectò ſunt immortalitatis demonſtrationes, & apud Platonem, & alios: ſed illæ admodum reconditæ, & intellectu difficiles, illisq; in ſcientijs doctis uix cognitæ. At nobis ad eius immortalitatis ſupremam demon

demonstrationem, diuinorum sermonum satis erit eruditio, fidem quæ diuino spiritu ad nos demissa in se complexa est. Sed aduersus illos qui literas nõ admittunt Christianas, satis sit, nihil eorum quæ corrumpi possint esse animam, ostendisse. Proinde quum sit incorruptibilis anima & immortalis, ut nobis hoc satis est, ita ipsum recipiendum existimemus.

DE ANIMAE ET CORPORIS COPVLA. CAP. III.


INC nobis inuestigandum est, quo pacto animæ & corporis unio fiat inanimati. Res enim dubia, si non solùm ex his, sed etiam ex mente, ut quidam autumant, homo constet. Verum adhuc magis dubia, quòd in unius essentiæ substantiam coëuntia omnifariam uniantur. omnia siquidem unita mutantur, atque uariantur: nec quæ prius erant, manent, quemadmodum in elementis ostendetur: nam unita aliud euadunt. quonam pacto igitur corpus & anima unum fient, quum sit incorporea, & per se sub essentiam cadens anima? quomodo cum corpore unietur, & animalis pars fiet, suam inconfusam, & indifferentem conseruans essentiam? necesse igitur uideri potest aut ita uniri animam & corpus, ut pariter transmutentur, & utraque, sicut elementa, corrumpantur: aut non uniri quidem ob prædictas

dictas absurditates, sed adhærere uelut in choro saltantes, aut sicut calculus calculo: aut misceri, ut uinum & aqua. At quod corpori non possit anima adhærere, ubi de anima disputauimus, est demonstratum. foret nanque sola pars illa corporis animata, quæ fuisset animæ coniuncta: cui uerò anima non adhæsisset inanimata, ut per appositionẽ unum minimè dicendum sit: sicut, uerbi causa, ligna, aut ferrum, uel huiusmodi aliquid. at uini & aquæ dilutio amborum corruptio est: neque enim huiusmodi temperamentum putilata aqua, aut merum uinum est: tametsi huiusmodi mixtio per appositionem facta sensum lateat propter partium tenuitatẽ mixtarum. Id autem certum ex eo quòd à se inuicem possunt separari: spongia nanque oleo perfusa purã exhaurit aquã, & papyrus. at quæ unita propriè dici possunt, sensibiliter separare omnino impossibile est. quòd si neque unitur, neque adhæret, neque miscetur: quænam ratio est, cur animal unum esse perhibeatur? Plato igitur uel ob hanc ambiguitatem animal ex anima & corpore constare noluit, uerùm animam corpori admixtam, tanquam corpus induentem, uoluit. At & hæc ratio nonnihil habet quæstionis. nam quo pacto unum cum indumento esse poterit anima? siquidem non unum cum induente est tunica. Amonius igitur Plotini magister hanc ita dissoluit quæstionem, ut dicat illam intellectilia habere naturam, ut uniantur eis, quæ ipsa pos-

ſint excipere, perinde atq; pariter corrupta, & unita: manere tamen inconfuſa & incorrupta, uelut adhærentia. Vnio enim in corporibus rerum in ſe coeuntium omnino efficit uarietatem: quandoquidem in alia corpora fit permutatio, ſicut elementorum in concreta corpora fit mutatio: & ſicut commutantur nutrimenta in ſanguinem, ſanguis in carnem, & in reliquas corporis portiones. Verùm in intellectilibus unio quidem gignitur, ſed non ſequitur mutatio: quippe quòd naturæ non eſt talis id quod intellectile, ut eſſentia queat permutari: ſed aut ſeparatur, aut ad nihilum uſque corrumpitur: non mutationem ſuſcipit, & ne quidem ad nihilum corrumpitur: non enim foret immortale. Quum ſit ergo anima uita ipſa, ſi copula permutabitur, uariabitur utique, nec erit amplius uita. quod ſi foret, ad quidnam demum corpori copulabitur, niſi ei uitam præbuerit? non igitur tranſmutatur, atq; alia fit in unione anima. Hoc ſanè demonſtrato ut intellectilia eſſentia permutari non queunt, neceſſariò ſequitur ipſa quidem uniri, ſed tamen quibus cum unita fuerint non corrumpi. & unitur itaque, nec confuſè unitur, corpori anima. Quòd planè uniatur, demonſtrat dolor ex utroque excitatus: ſibi nanque totum pariter animal dolet, utpote quod unum eſt. Quòd uerò id inconfuſum conſiſtat, manifeſtum ex quo anima à corpore per ſomnium quodammodo ſeparatur, atq; ita iacens deſerit, ut morticinium uideatur: at

tur: at ſolùm ita exhalante uita, ut non omnino aboleatur, per ſeſe in ſomnis agitatur futura diuinans, & intelligētijs propius accedens. Idem etiam eidem accidit, quum per ſeſe eorum quæ ſunt aliquid, conſiderarit. nam tum, ut ipſi poſsibile eſt, ſeſe à corpore abdicat, & in ſe redit, & ita quæ ſunt, coniectat: quum ſit incorporea, ſeſe à toto corpore ſeparat, tanquam quæ pariter corrumpūtur, manens tamen incorrupta & inconfuſa, quod per ſe unum eſt, conſeruans, & in quibus fuerit, illa ad ſuam uitam conuertens, ab eis minimè conuerſa. Ac quemadmodum ſol ſuo aduentu aëra lumine perfundit, ipſum in luminis ſpeciem reddēs, cum aëre unitum lumen perfuſum, & minimè ſibi confuſum profert: ita anima corpori coniuncta omnino manet incōfuſa. ſed hoc ſolum differt, quòd ſol quidem quum ſit corpus, & loco circunſcriptus, non ubique eſt, ubi & eius lumen: ſicut ne quidem ignis. manet ſiquidem ipſe in lignis, aut thryallide urens, ut in loco: anima uerò quum ſit incorporea, neqꝫ loco circunſcripta, per totum ſuo lumine corpus procedit, atqꝫ diffunditur: nec pars ulla ab ea illuſtrata lumine eſt, quæ ipſam totam non admittat: nec ipſa à corpore cohibetur, ac tenetur, uerùm ipſa cohibet ac tenet corpus: neque in corpore eſt perinde ac in uaſe, aut in utre, ſed potius in ipſa corpus. Nec enim à corporibus queunt intellectilia cohiberi, ſed per totum corpus procedunt, & euagantur, & diſcurrunt. nec in

corporali loco ipsam coërceri possibile est: nam quum intellectilia sint in intelligentijs, ut in locis sunt: aut enim intra se, aut in excellentibus sunt intelligentijs: ut anima quæ aliquando intra se est, quum ratiocinatur: aliquando autem in mente, quũ intelligit. Quum igitur in corpore esse anima perhibeatur, non ut in loco, in corpore dicitur: sed tanquam in habitum, & præsentiam se exhibẽdo: sicut in nobis esse dicitur deus. est siquidem habitu, & quodam ad aliquid momento, & affectione. Vinctam dicimus sub corpore animam, ueluti dicimus sub amata uinctum detineri amatorem, non corpore ipso, neque in loco, sed per habitum. Nam quum nec sub magnitudinem, nec sub cumulum, nec sub partes cadat, melius quiddam est in partes circunscriptione locali defecto. Quod enim partes non habet, quali demum in loco circunscribi potest? tumore nempe locus circunquaq; consurgit. est siquidem locus terminus circunquaque ambientis, per quem contentum ambit. Quòd si quis dixerit, Num igitur Alexandriæ, & Romæ, & ubiuis mea anima est? illum ipsum rursus latet se locum dicere: siquidem Alexandriæ, & omnino in hoc dicendo locus est. atqui in loco prorsus non est, sed in habitu: quippe quòd demonstratum est in loco haudquaquam potuisse comprehendi. Quum ergo in habitu sit intellectile quicquid est, magis abusiuè loquimur in loco ipsum dicentes, quàm quicquam quod locum occupet:

cupet: in loco dicẽtes, quod illic ſuam habeat actio-nem; locum pro detentione, & actione capientes: oportuit enim dicere, illic agit, quum dicimus, illic eſt. Verumenimuero hæc explicatius, & apertius ratio unioni accommodabitur, quàm quæ de filio dei erga hominem creditur: qua unitus manet in-confuſus, atque incomprehenſus: non in animæ modum. illa enim quum ſit in completorum, & multitudinum numero, opinatur, & patitur pari-ter cum corpore propter conſuetudinem, ac neceſ-ſitudinem, quam cum eo habet: & eſt ubi cohibeat, & ubi cohibeatur. at dei ratio nihil ipſa ab ea, quam cùm corpore, & anima habet, communione uaria-tur, neque permutatur, neque illorum eſt imbecil-litatis particeps: at cum ipſis ſuam exhibens diui-nitatem unum effecta eſt; & unum manens, quod ante unionem fuit, & copulatur; & manet omnino immixta, & inconfuſa, & incorrupta, & intranſmu-tabilis: neque unà patiens, ſed ſolùm actionem coadiuuans: non pariter inſita, & pariter uariata; uerùm illa quidem pariter augens: ipſa uerò ab eis nulla in parte diminuta, quominus maneat incon-uerſa, & inconfuſa: quandoquidem prorſus inta-minata omnis expers eſt mutationis. Huius rei te-ſtis Porphyrius eſt, utcunque in Chriſtum ſuam quatiens linguam, inquiens: Valida autem ſunt inimicorum ſupra nos teſtimonia, nullum quippe reſponſum acceptura. Hic itaque Porphyrius in ſe-

cunda quam commixtarum quęstionũ habuit oratione, ita ad uerbum scribit: Non ignorandum igitur excipi aliquam essentiam, quæ ad se complendam alteram adsumat essentiam, eamq́ partem esse essentiæ, & secundum naturam suam permanere, unáque alteram complere essentiam eatenus, quatenus cum alio fuit producta, & per sese unum conseruantem: quodq́ maius ipsa neutiquam mutata, mutantem uerò illa, in quibus gignitur, ad suam actionem, quam ipsa præsens exhibet. hæc sanè ait de animæ corporisq́ unione. Quòd si de anima, quòd sit corporea, uera est oratio, longè magis de dei erit ratione, quæ & magis inconcretè habet, & ut ueritas est incorporea, quòd sanè ora, dei erga hominem unionem increpare tentantium è regione occludit. At hoc Græcorum multi ridiculum arbitrati, aiunt impoßibile, non probabile, & indecens esse, mortali naturæ diuinum per mixtionem, & unionem genitura esse coniunctum. Cæterùm præclaris ipsorum usi testibus causam, & rationem excutiamus. Dicitur sanè ab his, & præsertim ab Eunomianis diuinam uniri cum corpore rationem, non per essentiam, sed per utriusque uires: nec esse unitas essentias, aut commixtas, sed corporis uires diuinis uiribus commisceri. atqui corporis instrumentalis potentias, Aristotelem secuti, sensus esse asserunt. His ergo sensibus diuinæ commixtæ potentiæ unionem, prout ipsi putant, absoluerunt.

Sed

Sed his nullo pacto id concedendum puto, sensus corporales potentias definientibus. Manifestò nimirùm suprà definitum est, alia corporis esse propria, alia animæ, alia pariter utriusque. atqui in his quæ utriusque pariter propria sunt, sensus per instrumenta digerebamus: ipsa porrò instrumenta corporis esse dicebamus. expedit igitur iuxta suam incorporatorum naturam, sine confusione unionem fieri essentiarum, nulla in parte quæ diuinior est à deteriore læsa: cæterùm hac solùm à diuiniore adiuta: quandoquidem quæ liquidò incorporea natura est, cedit quidem per omnia sine impedimẽto: per ipsam uerò, nihil. Proinde cedendo quidem ipsam per omnia, id uniri est. nihil uerò per ipsam: id est, immixtam & inconfusam permanere. Huiusmodi igitur unionis non benefaciendi uoluntas, uelut quidam præcellentes uiri putauerunt, sed natura fuit in causa. In corpore nanque accipiendo, benefaciendi nobis uoluntate iure factum quispiam dixerit: at unitum non sua dei natura confundi minimè benefaciendi uolũtate factum.

Enimuero animarum gradus ascensus, atque descensus, quos inducit Origenes, utpote diuinis scripturis non cõducentes, neque Christianorum cõuenientes sententijs, relinquamus.

DE CORPORE.

CAP. IIII.



ORPVS omne quatuor elementorum concretio, & ex eis progenitum est. Et animalium quidem sanguinem habētium continuò corpus ex quatuor coit humoribus, sanguine, phlegmate, flaua bile, & atra: eorum uerò quæ sanguine careant, ex aliĳs humoribus proportionem in se ad sanguinem habentibus. Continuò autem dictum, quum sine medio ex illis ipsis aliquid gignitur, uelut ex quatuor elementis quatuor humorum esse uidetur concretio. Cæterùm inter humores ea similium sunt partium, quæ corporis portiones perhibentur. Asimilantur autem terræ quidem atra bilis: aquæ uerò, phlegma: aëri autem, sanguis: & igni, flaua bilis. Omnis sanè elementorum concretio aut solida, aut fluida, aut spiritalis est. Aristoteles continuò ex sanguine putat solo animalium gigni corpora, quòd cunctæ animalis particulæ ex eo continuò & alantur, & augeantur, & ex sanguine semen oriatur. Sed quoniam ex uno eodemq; principio non rectè habere uidentur, & ossa, quæ durissima sunt, & mollissima pulpa, & pinguedo, generationē: iure placuit Hippocrati, ex humoribus quatuor, animalium corpora continuò excitari, atque conformari, quò ex magis terrenis, & crassioribus solidiora gignantur, ex mollioribus autem molliora. Comperti nimirùm

sæpe

ſæpe habentur in corpore humores, ueluti in phlebotomijs eſt uideri, aliquando exhorreſcente, & tumente corpore ex redundante phlegmate, aliquãdo atra, aliquando flaua bile. unde & inter ſe inuicem homines aliquo modo putantur conuenire. Præterea in animalibus partium quædam ſunt, quæ ſimilium partiũ dici poſſunt, uocant autem eas Græci homœomere: quædam uerò diſsimiliũ partium, quas illi anomœomere appellant. ſimilium quidem partium, ut cerebrum, menignes, neruus, medulla, os, dens, chondrus, lumbi, nodi, hymenes, ines, capilli, ungues, pulpæ, uenæ, arteriæ, meatus, pinguedo, cutis: & horum ferme continua ſunt elementa: ſicut pariter ſanguis purus, phlegma, bilis atra, & flaua: nam tenon ex nodis & nerueis inibus compoſitus eſt. Diſsimilium uerò partium, caput, pectus, manus, pedes, & alia id genus hominis membra. ſiquidem non in caput diuiditur caput, quemadmodum neruus in neruum, & in uenam uena, & pulpa in pulpam. Partium nempe diſsimilium omne ex his, quæ ſimilium partium ſunt, conſtat: ueluti caput ex neruis, & pulpis, & oſsibus, & huiuſmodi alijs. uocant autem hæc etiam inſtrumentalia. Homœomeron igitur definitio eſt, ut dicatur eorum, quorum portiones & toti, & ſibi inuicem ſunt ſimiles. ſimile tamen nunc accipiendum pro eo quod eſt idem. Nec profectò omne animal omnes corporis adeptũ eſt portiones; ſed ſunt mutila utique quædam; nam

alia ſine pedibus,ut piſces, & ſerpentes: alia ſine capite, ut cancri, & carabi: & alia quædam natantia, quæ ſenſuum loca geſtant in pectore,quòd caput illis ſit nullum: alia pulmone carent,quæcunque aërem non reſpirant: alia ueſicam non habent, ut aues, & quæcunque non mingunt: quæ'que cruſtaceum integmentum habent: in pluribus ſunt membris mutila: paucis enim in rebus ipſa uideri eſt eſſe animalia. Videntur porrò & quædam quanquàm habentia, ea tamen non habere, ſicut cerui, qui flauam bilem minimè habere uidentur: quandoquidem ipſam diſperſam, & nuſpiam comparentem inter inteſtina habent. At homo,& omnia,& perfecta, & ut neque aliter contingere poſſe uideatur, rectè habet omnia. Ita igitur, iuxta particularum poſitionem, multa inter ipſa animalia differentia eſt: alia mammas habent in pectore,alia in uentre,alia inter crura: tum alijs quidem duæ, alijs autem quatuor, alijs uerò ſunt plures. natura enim natorũ numero mammarum ferè multitudinem adæquauit. Quòd ſi quis hæc diligenter uelit dignoſcere, de Animalibus hiſtoriam legat Ariſtotelis. non enim propoſito noſtro hæc rimãda conueniũt, ſed ut in ſubſcriptionum figurã aliquos annotemus locos. Itaque iam ad elementorum diſputationem tranſeamus, quòd conſequenter id à nobis quærendum eſſe uideatur.

DE ELEMENTIS.

CAP. V.

Mundi



MVNDI elementum concretionis corporum pars minima eſt. Sunt autem elementa quatuor, terra, aqua, aër, ignis, dicto digeſta ordine ab infernis ad ſuperna corpora; quæ & ipſa utique prima ac ſimplicia ſunt, utpote quæ cæteris præſunt corporibus. Nam elementum omne eiuſdem generis eſt cum illis, quorum elementum eſt. Principium eiuſdem generis quidem non eſt cum his, quæ ex ipſo ſunt. elementū uerò prorſus eiuſdem generis eſt. at quòd terra, & aqua, aërq́; atque ignis ſint elementa, uel ex eo nempe certum eſt, quòd in his ſupremæ qualitates potentia, & actu exiſtunt: non tamen ſenſibilium aliquid horum elementorum ſine temperamento, & ſine mixtione alterius eſt elementi. cuncta enim hæc ſenſim quodãmodo degenerant, & ſe inuicem tranſmutant magis ac minus: ueruntamen in eorum mixtione manifeſta natura eſt. Cæterùm, quodlibet elementum per coniugationem binas qualitates habet, quæ eius ſpeciem efficiant. eſt ſiquidem terra ſicca, & frigida: aqua frigida, & humida: aër humidus, & calidus, ut ſuapte natura: ignis calidus, & ſiccus: nec tamen qualitates elementa per ſe eſſe poſſunt. non enim ex incorporeis qualitatibus corpora conſtare poſsibile eſt: ſed ne alia quidem corpora non ſupremam actu habentia qualitatem elementa eſſe poſsibile eſt. infinita enim forent, ſi quæ ſunt omnia magis & minus qualitatem nacta, eſſent ele-

menta: nec qualia qualium ſint elementa diſcerni utiq; potuiſſent. Neceſſe igitur eſt elementum, corpus eſſe, & ſimplex corpus, & actu ſupremas habẽs qualitates, caliditatem, inquam, & frigiditatem, & humiditatem, & ſiccitatem: nam hæ ſolæ qualitates totam prorſus tranſmutant eſſentiam: neq; id aliarum ulla qualitatum efficit. neque enim albore ad corpus propius accedente, propter alborem omnino albeſcit corpus, ſicut propter calorem caleſcit, & ob frigus frigeſcit, nec propter quicquam aliud. Repugnantia uerò ſibi inuicem ſunt elementa per binas contraria qualitates, ut aqua igni: quippe quæ frigida & humida eſt, calido & ſicco: & terra aëri, quum frigida ſit, & ſicca, calido & humido. Verùm quoniam contraria coniungi inter ſe inuicem recuſarunt, ſine uinculo aliquo medio ad ipſa uincienda comparato: inſtituit creator in medio quidem terræ, & aëris, quæ inter ſe ſunt inuicẽ oppoſita: aquã, ei binas tradens qualitates, frigiditatem & humiditatem, per quas potuit extremis coniuncta deuinciri: frigiditate ſiquidem, terræ: humiditate uerò, aëri copulatur: Medium porrò aquæ, & ignis aërem fecit extremorum ſibi inuicem repugnantium uinculum, humiditate quidem aquæ, caliditate uerò igni conciliatum: atque ita inuicem contraria coniunxit per quædam media, quæ & ſe cum alijs uincirent, & quibus alia uincirentur. eſt enim uinculum huiuſmodi optimum. Quodlibet igitur ipſorum ſecun-

dum

dum alteram qualitatem ſe antecedenti copulauit: ſecundum alteram uerò, ſequenti: ſicut aqua, quum frigida & humida ſit, per frigiditatem terræ coniungitur, quæ in aſcenſum eam antecedit: per humiditatem uerò, aëri, qui ipſam ſequitur: Itidem & aër per humidum quidem, aquæ copulatur, quæ ipſum antecedit: per calidum uerò, igni, qui aërem ſequitur: Et ignis per caliditatem aëri, qui ipſum antecedit, conciliatur: per ſiccitatem uerò, terræ, per refractionem & reuerſionem quę ad extremum eſt: Ita quoque terra per frigidum, aquæ: per ſiccum autem, igni in refractione copulatur. ſiquidem non ſolùm ad ſuperna, & inferna deſcenſum, & aſcenſum habent elementa: ſed etiam in circulum aliquo modo inflexa, & conuerſa ſunt extrema, & inter ſe inuicem. Ignis enim ſolam caliditatem amittens terra efficitur: idq́ ex fulminibus certum eſt. delatus ſiquidem ignis & frigidatus ex delapſu lapideſcit: ideo omne fulmen cum lapide, & ſulphure fertur. Eſt nanque ſulphur ut ignis extinctus non amplius actu calidum, ſed potentia, uerùm actu adhuc ſiccum. ſola nimirùm elementa in actu qualitates habent: cætera autem omnia in potentia, niſi ad elementum proximè acceſſerint. Ne igitur unquã deficiant elementa, neque quæ ex ipſis concreta ſunt, ſapienter creator, artificioſeq́ conſtituit, ut elementa in ſe inuicem tranſmutarentur, & in concreta corpora confluerent: & concreta porrò ipſa

resoluerentur, ac dilaberentur in sua principia: atque ita ex alterna generatione perdurando consistentia uniuersa conseruantur. Terra quidem dissoluta, & liquefacta fit aqua: aqua uerò concreta, atque congelata, fit terra: quum uerò incaluit, & euaporauit, fit aër. rursus contractus aër, & densatus aqua euadit, exiccatus uerò in ignem se conuertit: ita & ignis extinctus ubi siccitatem amittat, aër efficitur: est siquidem aër ignis extinctio, & calescentis aquæ euaporatio. ex utroque igitur aër gignitur: nam calida effecta aqua, & extinctus ignis aër euadunt. est itaque natura suapte calidus, licet aquæ terræq; uicinitate frigescat. Quamobrem infernæ eius & ad terram partes frigidæ sunt: supernæ uerò & ad ignem conuersæ, calidæ. Hoc sanè accidit propter molliciem, & facilē aëris passionem. euestigiò enim suæ naturæ cedit, ac transmutatur. Aristoteles autē duo aëris fecit genera: unum quidem ab aquæ exhalatione euaporatum: alterum uerò fumidum, atque calidum. euaporatum hîc quidem gignitur ipsum quoque calidum: at sensim procedens frigescere, & sibi succedens in aquam cōuerti solet. Vt igitur alia quoque, quæ aliena esse uidebantur, diffugiat: sublimia calida, & multùm deiecta, terræq; remissa, frigidiora uideri uoluit: itaque & duplicem ipsius naturam fecit. Cæterùm, corpora omnia ex horum quatuor elementorum copula generantur, & quæ plantarum, quæq; animalium

malium ſunt, defecatiſsima, & purgatiſsima elemẽta ad horum corporum generationem natura trahente. Vocat autem hæc corpora Ariſtoteles naturalia: non ipſis certè in cumulum ac aceruum compoſitis, ſed totis per tota ad unionem remixtis, & unum aliquod ſecum corpus efficientibus, ita ſiquidem uniuntur, ut ipſa diſcerni impoſsibile ſit. Nec ſeparatim queas terram inſpicere, ſeparatim aquã: itidem & aërem, & ignem per ſe unum aliquod, at queas hæc, ut ex ipſorum quatuor copula genitum: quod ita propemodum efficiunt elementa, ut in tetrapharmaco accidit. nam illic aliud eſt tetrapharmacus ab his quæ compinguntur, atque commiſcentur: nec tamen eodem modo. non enim per minutiſsimarum partium appoſitionem, uelut in tetrapharmaco, ex elementis corpora conficiuntur: ſed per tranſmutationem, & unitatem. Et corrupta rurſus corpora in elementa reſoluuntur, ac perpetuò hoc pacto permanent omnia, & ſufficiunt ſeſe ad eorum quæ ſunt generationem: neque redundantia unquam, neque decreſcentia. Vnde alterius generationem, alterius eſſe corruptionem conſtat: & alterius corruptionem, alterius generationẽ eſſe, non circa animam modò, ut dictum eſt, ſed etiã circa corpus. Plato autem putat tria quidem elementa inter ſe inuicem tranſmutari, terram uerò intrãſmutabilem permanere: aſsimilans & conferens ipſe cuilibet elemento recti linearum figurarum ſoliditates

tates; terræ quidem cubicam figuram dedit, quoniam omnium earum immobilissima est: aquæ autem, reliquarum difficilimè mobilem icosaëdron: facilimè uerò mobilem pyramidem, igni: octaëdron autem, aëri, quæ motu facilior quidem aqua est, difficilior uerò igne. Ex his figuris demonstrationem facit, tria inter se inuicem transmutari, terram solam immobilem permanere. tria enim pyramida octaëdron, & icosaëdron ex scalenis constare triangulis: cubum uerò ex æquilateris triangulis. Quæcunque igitur ex scalenis constiterint triangulis, ea dissolui possunt, & rursus coëuntia inter se inuicem transmutari: neque cubus dissolutus in aliquam aliarum trium figurarum potest transmutari: ex æquilateris enim triangulis conflatur, ex quibus aliarum trium nulla potest consistere, neq; porrò trium figurarum ulla in cubum commutari. Necesse est igitur & speciem efficientia corpora, & has species ita inter se inuicem habere, ut illa habuerũt: ueruntamen non impassibilis terra permansit, sed sub minutiorum partium corporibus diuiditur redelementata quidem, ut sic loquar, non tamen trãsmutata in ipsam diuidentia. Rursus autem coiens in se residet: quod in aqua uideri licet: si enim in aquam terræ aliquantulum proieceris, ut ipsa perturbetur aqua, terra in aquam quidem dissoluetur: at quum resederit, aqua quiescente, terra, ut prius fuit, subsidet; idq; in omni terra licet nobis cognoscere

scere

ſcere. nec ſanè tranſmutatio hæc eſt, ſed mixtorum diſcretio. Ait autem Plato ſub ignis acumine diſſolui terram, & ſolutam ad ipſum eleuari: aut in aëris conuexum, quum eam aër diſſoluerit: aut in aquam ferri, quum ab aqua fuerit diſſoluta. Ait præterea & aliter diuidens, trinas unumquodq; elementum habere qualitates: ignem quidem, acumen, raritatem, motum: alterum autem elementorum extremum, id eſt, terram his oppoſitas qualitates, retuſionem, corpulentiam, immobilitatem. Itaque iuxta has qualitates contraria ſibi inuicem eſſe uult: terram, & ignem, quòd iuxta alias in copulatione qualitates non fuere. A ſingulis deinde extremis accipiens qualitates, alijs eas accommodat elementis. Nam duæ ignis ſumuntur qualitates, raritas, & motus: una autem terræ, quòd ſit retuſa, & conſtituitur aër ſpeciei effectrices habens qualitates, retuſionẽ, raritatem, motum. exinde binæ qualitates terræ ſumuntur, obtuſitas, & corpulentia: ignis uerò unica, motus: & fit aqua ſuam & ipſa ſpeciem inueniens, obtuſitate, corpulentia, motu. Eſt igitur ut acumen ad obtuſitatem, ita ignis ad aërem: ut autem raritas ad corpulentiam, ita aër ad aquam: ut motus ad immobilitatem, ita aqua ad terram: ut igitur ignis ad aërem habet, ita aër ad aquam: & ut aër ad aquã, ita aqua ad terram. hoc pacto effectum eſt plana quidem ſub una medietate contineri, hoc eſt, proportione; ſolida uerò ſub duabus medietatibus.

nempe & alio modo elementa aiunt habere qualitates: terram quidem & aquam grauitatẽ, per quam deorsum natura feruntur. Aiunt præterea Stoici elementorum alia quidem esse efficientia, alia uerò passiua: efficientia quidem, aërem, & ignem: passiua uerò, terram, & aquam. Aristoteles autem quintum etiam inducit corpus ætherium, & circunlatũ, cœlum, nolens genitum ex quatuor elementis. circum sese ferens ait quintum corpus, quòd ipsum in circulum circunferatur: Platone propalam referente ipsum ex igne, terraq́ constare. ita enim inquit: Corporeum, & aspectabile, itemq́ tractabile esse necessarium, quod natum est: nihil porrò igni uacuum uideri potest, nec uerò tangi, quod careat solido: solidum autem nihil, quod terræ sit expers. quamobrẽ mundum efficere moliens deus, terram primùm, ignemq́ iungebat. omnia autem duo ad cohærendum tertium aliquod requirunt, & quasi nodum uinculumq́ desiderant. sed uinculorum id est aptissimum atque pulcherrimum, quod ex se atque æquè de his, quæ astringit, quàm maximè unum efficit: id optimè assequitur proportio: uinculum utiq́ uocans media duo elementa, quæ ex prædicta proportione sumpta sunt. At Hebræi in cœli terræq́ assertione à cæteris ita differunt, ut alij propè omnes aliter dicant: ex nulla siquidem prius subiecta sylua aiunt cœlum & terram esse procreata. nam Moyses inquit: In principio fecit deus

cit deus cœlum & terrã. Apollinarius autem deum ex abyſſo cœlum, & terram feciſſe cenſuit. Verùm Moyſes in mundi generatione abyſsi tanquam genitæ non meminit: licet in Iob ſecundo dicatur, Faciens abyſſum. Ex hac igitur utpote ex ſylua cuncta alia procreata eſſe contendit: non tamen ingenitam, tametſi productam eſſe aſſerat ante omnia corpora à creatore diſsipatam, & diſſolutam, ad aliorumq; ſubſtantiam propoſitam eſſe. quodq; infinita ſylua ſit, abyſsi nomen oſtendit. At hoc utcunq; habeat, nihil refert: ita enim rerum omnium creator deus ex eis quæ non ſunt, cuncta feciſſe demonſtratur.

Aduerſum autem illos, qui unicum elementum eſſe putauerũt, idq; aut ignem, aut aërem, aut aquã, quæ ab Hippocrate dicta ſunt, ſufficiant. Si unum homo fuiſſet, minimè unquam languiſſet: neque enim ſi unum fuiſſet, erat unde langor ei excitaretur. in tranſmutatione autem ſenſus membrum dolere opus eſt: quòd ſi unum ſolum ſit elementum, non erit, in quod tranſmutetur. quòd ſi non tranſmutetur, ſed in ſe reſideat, non utiq; dolebit: quanquàm ſub ſenſum cadat. atqui neceſſe eſt quod ab aliquo patitur præter unius elementi, ſub quo animal patiatur, eſſentiã, aliud eſſe. quòd ſi neq; tranſmutari, neq; pati poteſt, quomodo igitur dolet? Id itaque impoſsibile eſſe oſtendens, fateri cogit, ſi doleat, unum eſſe cum eo quod dolorem incutiat. atqui unum non eſt, ſed multa. non ergò unum homo

esse potest. Verum enimuero ex quibus singuli suã potissimum tentauerunt astruere opinionem: ex ijsdem quatuor etiam esse elemẽta, ostendunt. Nam quum Thales aquam solam elementum esse dicat, alia tria ab illo genita esse, nititur demonstrare. eius nanque fecem terram esse ait: partem uerò tenuissimam aërem: aëris porrò tenuissimum, ignem facit. Anaximenes autem solum aërem elementũ putans pariter alia nititur elementa ex aëre progenita esse demonstrare. Heraclitus uerò, & Hipparchus Metapontinus ignem arbitrati, hisdem propè demonstrationibus utuntur. Quicunq; igitur ignem reliqua putant gignere elemẽta, & qui hoc aquæ, qui'ue aëri deputant, facilè indicant cuncta elementa inter se inuicẽ transmutari. quòd si inter se inuicem transmutantur, omnia elementa esse necesse est. quodcunq; enim ex quatuor tibi sumpseris, comperies & ipsum ab altero gigni. Quòd quum animæ instrumentum corpus sit, iure in animales etiam diuiditur potentias, quibus ita expeditum, & accinctum comparatur, ut nulla animæ potentia à corpore supprimatur: unamquanque enim animæ potentiam ad actum aliquem obeundum suæ corporis partes sortitæ sunt, uelut sequens ostendet oratio. Anima quidem ordinem obtinet artificis: corpus autem instrumenti. Sylua porrò circa ea est, circa quæ & actio ipsa. uerbi causa: Sylua quidem subiacet ut mulier, circa quam est omnis actio: at actio adulterium est,

aut

aut inceſtus, aut legitima per nuptias copula. Denique animæ uires diuiduntur in uim imaginandi, uim æſtimandi, & uim memoria continendi.

DE IMAGINARIO. CAP. VI.


IMAGINARIVM eſt irrationalis animæ uis ſeſe per ſenſus exercens. Imaginatum quod imaginationi ſubijcitur: ſicut ſenſus & ſenſibile. Imaginatio eſt animæ irrationalis paſsio de aliquo eruta imaginato. Imago eſt inanis paſsio in animæ partibus irrationalibus ab nulla imaginaria agitatione producta. Sanè Stoici hæc quatuor eſſe uoluerunt, imaginationem, imaginatum, imaginarium, imaginem, quæ Græci phantaſian, phantaſton, phantaſticon, phantaſma uocant. Imaginationem quidem dicentes animæ paſsionem intra ſe demonſtratam, quęq; imaginatum efficiat. Quum enim album aliquod intuemur, ex eius in anima acceptione paſsio aliqua gignitur. nam ut quum ſentitur, ipſis in ſenſibus paſsio oritur: ita & in anima, quum intellexerit. rei quippe intellectæ intra ſe ſuſcipit ſimulachrũ. Imaginatum autem, eſt imaginationem efficiens ſenſibilem, ut albũ aliquod, & prorſus omne quod mouere animam poteſt. Imaginarium eſt inanis ſine imaginato diſtractio. Imago eſt uelut abſtractum per imaginarium inanis attractio: ut in furentibus,

& atra bile percitis. Cæterùm diſconueniunt in ſola nominum mutatione. huius utiq; inſtrumenta ſunt præcedentes cerebri uentriculi, & in ipſis ſpiritus animalis, & nerui ex ipſis animali ſpiritu humecti: & earum quę in his genitæ ſunt paſsionum per ſenſus aſſecutio. ſanè à terreſtriſsimo, & omnium ſenſuum corporatiſsimo tactu, quodcunque terreſtris naturæ eſt, ſentitur: quæ autem perſpicua ſunt, ab omnium perſpicuiſsimo uiſu: ſicut ab aëroſo aëris paſsiones (eſt enim aër uocis eſſentia, aut aëris plauſus) à ſpongioſo, & aquoſo guſtu ſapores excipiuntur. Quodlibet enim ſenſibile ita productum eſt, ut à naturæ ſuæ peculiari dignoſci queat. Hac itaque ratione, quoniam elementa ſunt quatuor, ſenſus quoque quatuor eſſe oportuit. At quoniam fumigatio, & quodque odorum genus inter aërem & aquam interiectam naturam habet: aërem quidem, quòd tenuium partium ſit: aquam uerò, quòd partium ſit pinguium. quod planè ita habere uel ex emungēdi paſsione certũ eſt: emungentes enim per reſpirationem aërem trahimus, quem attrahendo fumigationes non excipiuntur. propter oppilationem enim pingue ſuis partibus ad ſenſum non peruenit. Hac de cauſa quintus ſenſus odoratus à natura comparatus eſt: quò nulla animæ potentia ad cognitionem perueniat, quæ ſenſum effugiat. Eſt autem ſenſus non alteratio, ſed alterationis diſpicientia. alterantur quidem ſenſuum ſedes: at alte-

rationem

rationem sensus ipse discernit. Vocantur nimirùm & sæpenumero sensus sensuum receptacula, & sedes: sed propriè sensus est sensuum deprehensio. Hæc autem definitio non ipsius sensus esse uidetur, sed actuum eius, quamobrem & sensum definiunt, spiritum intellectilem à principali duce ad instrumenta protensum. Iterum & hoc pacto, animæ uim sensibilium deprehensoriam. Sedes autem sensus, quæ à Græcis æstheterion appellatur, instrumentum est ad sensibilia deprehendenda. Plato sensum ait ad ea nimirùm quæ forinsecus obijciuntur deprehendenda, animæ conciliationem esse: uis enim animæ, instrumentum uerò corporis est. utraque per imaginationem eorum sunt deprehensoria, quę extrinsecus ueniunt. Sub animam autem cadẽtium, quædam sumministratoria sunt, & satellitis locum obtinentia: quædam principalia, & antecedentia. principalia quidem intellectiuum, & sciẽtiale: sumministratoria uerò sensibilia, & per impulsum motus, & proclamatio: nam motus, & uox celerrima sunt, & nullo ferme temporis interuallo rationis obedit uoluntati. pariter siquidem & per idem tempus uolumus, & mouemur, nullo uoluntatis & motus carentes interuallo: ueluti in digitorum motu est uideri. Proinde naturalia nonnulla sub intelligentiæ ductu sunt, sicut quæ perturbationes appellantur.

DE VISV. CAP. VII.



ISVS æquiuocè dicitur & ſedes ipſius ſenſus, & uis ſentiendi. Hipparchus ait radios ab oculis exeuntes ad ſuos terminos, ſicut in manuum tactibus ad tactũ peruenire tangibilia; ita exteriora corpora deprehenſa uiſui reddere. Geometræ conos quoſdam deſcribunt ex radiorum concidentia factos, qui ex oculis emittantur. Emittere quidem dextrum oculum radios putant ſiniſtrorſum: ſiniſtrum autem, dextrorſum. dein ab ipſorum concidentia conum abſolui, unde multa ſimul uiſibilia circunquaq; uiſus comprehendat: ſed illa demum diligenter perſpici, ubi radij conciderint. Ita ſæpe in pauimentum deſpiciẽtes iacentem in ipſo nummum non uidemus pluribus intenti, quoad radiorum coniectiones eò demittantur, ubi iaceat nummus: & tum in ipſum irruimus uiſum: utpote tum primùm uiſu aſſequi incipientes. Epicurei rerum comparentium ſimulachra in oculos aiunt illabi. Ariſtoteles uerò corporatum ſimulachrum putat, ſed qualitatem per aëris circunfuſi alterationem à uiſibilibus ad uiſum uſque pertendere. Plato per luminis ex oculis emiſſi conſpicuum ad aliquem quantum defluentis ſimilis generis aërem, & à corporibus quidem reuerberati: aërem porrò medium aptè affectum, & accommodatum, facileq; uertibilem pariter ad uiſus igneam uim pertendere. Galenus cum

Platone

Platone de uisu conueniens, in Consonantiæ septimo inquit, ita ferme sparsim scribens: Si ad oculum particula aliqua peruenerit, aut uis, aut simulachrũ, aut uisorum corporum qualitas, haud continuò rei uisæ magnitudinem cognoscimus, ut montis, si modò etiã maximus occurrerit. Tam immẽsum autem oculis nostris simulachrum incurrere, omnino caret ratione. Cæterùm & spectandi spiritum ad tantam molem secernendam sumere, impossibile est: ita ut totum spectabile concipiat. Reliquum igitur est, circunfusum aëra tale nobis gignere instrumentum, tantisper quoad uideamus. Ac profectò qualis in corpore ad spectandum neruus existit, tale aliquid nos ambiens aër pati uidetur. Lux enim solis superiorem terminantem aërem attingens in uim oculi distributionem totam immittit. at lux per neruos delata uisibiles, quos opticos uocant, essentiam habet spiritalem in circum cohibentem incidens, & prima iniectione alterationem efficiens, ad plurimùm distributionis deueniens, seq; continens, quousque in repercutiens corpus inciderit. Comparat enim se aër instrumentum oculo, ad eorum quæ uidentur discretionem, atq; iudicium tale nimirùm, qualis in cerebro est neruus. Ideo quam ad neruum habet cerebrum rationem, talem ad aërem oculus solari luce illustratũ. Quòd autem aër proximis soleat natura suapte corporibus assimilari, id certè manifestum ex flauo corpore aliquò, aut cæruleo,

aut argenteo: quòd suo illato splendore, & micante lucis differentia aër alteratur. Porphyrius in eo, quē de Sensu inscripsit, neque conum, neque simulachrum, neq; aliud huiusmodi quicquam ait uidendi causam esse: sed animam ipsam uisibilia assequentem cognoscendo: quodq; anima idem sit quod uisibilia, quum omnia, quæ sunt, ipsa contineat: itaq; & omnia animam esse differentia inter se corpora continentem. Vnam enim rerum cunctarum animā esse uolens rationalem, eam non iniuria ait se in omnibus, quæ sunt, cognoscere. Per rectas autem uidet uisus lineas: at iuxta primam colorum sentit rationem, cum ipsisq; coloratū spectat corpus, eiusq; magnitudinem atq; figuram, & ubi est regionem, & interuallum, & numerum, motumq; & statum, & scabrum & leue, & æquale & inæquale, & acutum & obtusum: & consistentiam, siue id aquaticum, siue terrestre sit, sicut humidum & aridum. Suum igitur eius sensibile est color. solo siquidem uisu iniecto colores deprehendimus. Cum corpore autem euestigiò & esse coloratum corpus, & locum, in quo est, quod cernitur, interuallumq; quod inter uisum & uidens interiacet, uidemus. Quotuncunq; autem sensibus corpus obijcitur, & comparet, tantum euestigiò cum loco comprehenditur, sicut tactu & gustu: sed hi quidem tum solùm, quum ad corpus proximè accesserint, persentiscent: exceptis his, qui à nobis deinceps definientur. at uisus, uel etiam eminus.

nus. at quum eminus sua excipit sensibilia, necessario sequitur sola inspectio eorum & interualli. Veruntamen magnitudinē tum solùm discernit, quum apparens euoluitur, si una repercussione comprehendi non queat. In quibus enim uisibile maius est, quàm ut una possit repercussione comprehendi, in his ad rem uisam memoria, & intelligentia opus est. Per partes enim ipsam cernentes, & non ab una totum ab altera ad alteram necessariò peruenimus: ac quod per transitionem incidit, id semper sensibile est: quod uerò prius uisum est, id custodit memoria: utrunqꝫ autem cogit, & componit intelligentia, & quod uisu perceptum est, & quod memoria custoditum. Visus itaque magnitudinem dupliciter excipit, aliquando quidem solus, aliquando autem cum memoria, & intelligētia. nec enim potest quinque, & sex, & septem, & plura absqꝫ memoria colligere: ita neque sexangularem, & octangularem, & multorum angulorum figuras. At motus per transitionem factus, alius primum, alius secundum habet locum: ubi porrò primum, & secundum, & tertium est, id sola custodit memoria. Sursum autem & deorsum, æquale & inæquale, itidem & asperum & leue, & acutum & obtusum, tactui & uisui communia sunt. At quoniam soli locum discernunt, intelligentia quoqꝫ indigent. illud enim solum quod una in sensum procidit percussione, solius est sensus operatio: quod autem pluribus, solius non est, sed

memoriæ cum intelligentia: ueluti antè demonstratum est. In perspicuis ad passionem usq; uisus utiq; perueniet, præsertim quidem ac primò per aërem: totum siquidem ipsum transfigit: secundo loco per aquam tranquillam atque defecatam, ut pisces tum demum intueamur natantes: minus uerò per uitrũ, & id genus alia. ex quibus nimirùm perspicuis ac luminatis certum est id uisus esse proprium. Nec illud quenquam fallat, quòd & calida uisus quoque percipiat: quandoquidem igne uiso, continuò calidum eum esse cognoscimus. Nam si ad primum uisum rationem reduxeris, comperies ut tunc, quum primùm spectauit ignem, solum colorem, & figurã eius accepisse: at tactu accedente & calidum esse cognoscimus, quod à tactu accipiens memoria conseruauit. Nunc igitur, quum ignem spectabimus, nihil aliud cernemus quàm figuram, & colorem ignis. at intelligentia cum his rebus, quas uidet, caliditatem quoq; per memoriam concipit. Eadem & de pomo ratio est: siquidem non à colore solo, ac figura speciem pomum efficit, sed & odoris, & gustus qualitate: & ne quidem hæc præueniens uisus pomum esse potuit cognoscere. Cæterùm memoriam, quæ ex odoratu & gustu excitata est, anima conseruat: hæc unà cum figura & colore intelligit. Quum ergo pomum cereum, uerum esse pomum arbitramur, non uisus utiq; falsus est, sed intelligentia. uisus enim suis insensibilibus nequaquã fallitur: nam

tum

tum & colorem,& figuram uouit. Hi tres igitur sensus,uisus,auditus, & odoratus forinsecus, & minimè à proximè accedentibus, atque contingentibus per aëra medium persentiscunt. At gustus non aliter sentit quàm si sensibili copuletur. tactus autem inter utrunque ferè medius : nam & corporibus adhæret,& medio aliquando bacillo sensum exploratum habet. Est etiam uideri,quum uisus sensuum aliorum utitur testimonio, quum proposita ad spectandum res est,ut uisum arte fallat: ut in pictura: picturę siquidem est suum uisum fallere: quum nullæ existunt eminentiæ & cauitates, si res huiusmodi naturam habet, ut ad eam discernendam opus sit præsertim quidem tactu: est etiam ubi gustu, aut odoratu, ueluti in cereo pomo. Quandoque autem euidenter quæ apparent, confirmat, quum eminus non cernat: quum turrim quadrangularem eminus rotundam ferme uidet, sed fallitur: & quum per nebulã,aut fumum spectamus, aut per aliqua, quæ etiã cominus uisum perturbent. itidem quum per aquam perturbatã & remixtam. quin & in mari fractam uidemur palmulam nobis intueri. similiter quum in materiam perspicuam iecerimus oculos, sicut in speculo, in uitrum, & huiusmodi alia: aut quum res uisa uelociter mouetur: uelox siquidem motus uisum perturbat, ut quæ rotunda sunt,nequaquam rotunda uideantur: & consistere, quæ moueantur: aut quum mens aliis rebus stu-

det, ut obiecto quidem amico, eum quærimus, aut conuentum præterimus: quòd aliis sit rebus mens intenta, sed ne hîc quidem uisus est error, at mentis: uisus siquidem nouit, & retulit: mens uerò relatis neutiquam adhæsit. Ad peragendam potissimum discretionem quatuor uisus eget adminiculis, illæsa sensus sede, motu mediocri, spatio, aëre purgato, ac lucido.

DE TACTV. CAP. VIII.



CVNCTORVM sensuum preterquàm tactus sedem creator duplicẽ cõstituit, & loco aliquo, & corporis portione circunscripsit. Nam & oculos binos, binasq; aures, & eius q in naso est sensus meatus binos fecit. Linguas autem oĩbus ferme animalibus binas genuit: sed diremit eas quidem, ut serpentibus: coniunxit autem, ut hominibus: ob hoc & binos anteriores solos cerebri constituit uentriculos, ut ex utroque uentriculo dimissi sensibiles nerui binas sensus sedes efficiant. Binas autem eas fecit, propter redundantem, & insignem curam, quò laborante una, altera salutem defendat. Quanquàm pluribus sensuum sedibus extinctis, nullum tamen ad uitæ exitium ob id animal adducitur. at tactu internecto, animal pariter aboletur. solus siquidem tactus præ cæteris omnibus est communis animalibus. omne enim animal tactum habet: licet

alios

alios ſenſus, non omnia omnes habeāt, ſed aliquos aliqua: omnes planè habeāt cōſummatiora. Quum igitur in hoc ſit periclitatum, animal aut eſſe, aut nō eſſe, non unam tactum in corporis partē ſortiri animal creator uoluit, ſed totum propè corpus animalis: nam præter oſſa, & ungues, & cornua, nodosq́ꝫ, & pilos, & quædam id genus alia, omnis corporis portio ſub tactum cadit. Accidit igitur cuilibet ſenſuum ſedi duplices habere ſenſus, unum qui ſuorum ſenſibilium: alterum uerò tactus, ut uiſui: nam & is colores diſcernit, & calida & frigida deprehendit: ſed hæc quidem ut corpus: colores uerò, ut uiſus. eodem modo & guſtus, & odoratus, & auditus. Verumenimuero quonam pacto totius corporis eſt tactus, ſi ab anterioribus cerebri uentriculis ſenſus eſſe dicimus? ob id ſcilicet, quòd è cerebro demiſſus neruus, & in omnem corporis partem diſperſus tactus ſenſum gignit. Quum enim, ut ſæpe, ſente pes compunctus eſt, ſtatim capitis pilis exhorreſcimus. Hac de cauſa exiſtimarunt quidam paſſionem, aut paſsionis ſenſum ad cerebrum remitti. Quòd ſi hæc ratio ſit uera, non ſecta uidelicet pars doluerit, ſed cerebrum. illud igitur potius, quòd neruus cerebrum eſt. Enimuero cerebri pars quædam eſt, quæ per ipſum totum animalem fundit ſpiritum: ſicut ignitum continet ferrum ignem: & ob hoc hinc neruus exit ſenſum deprehendens: unde pars illa ſentiens capit ſenſum, & ſenſus fit capax.

Atqui non alienum fortè sit dicere, in neruorum principio cerebrum immittere non paſsionem, ſed conſenſum quendam, & paſsionis denũtiationem. Cæterùm ſuum tactus ſenſibile eſt calidum, & frigidum: molle, & durum: lubricum, & conſiſtens: graue, & leue. ab uno enim ac ſolo tactu hæc dignoſcuntur. Communia uerò tactui & uiſui ſunt, acutum, & obtuſum: ſalebroſum, & leuigatũ: aridum, & humidum: craſſum, & gracile: ſurſum, & deorſum. Nam & locus, & magnitudo ſunt eiuſmodi, ut una repercuſsione tactus deprehendatur: ita & denſum, & rarum, & rotundum, quum fuerit exiguum, ut aliæ quoque quædam figuræ. ſimiliter & motu propius ad corpus accedẽte ſentitur unà cum memoria, atque intelligentia: itidem & numero, ſed ad duo uſque aut tria, & ea exigua, & quæ facilè deprehendi queant. At magis quàm tactus hæc uiſus accipit, ſicut æquale & inæquale, quodq́ in leuis & ſcabri genere eſt: duricies enim inæqualitati mixta aſperitatem creat: planicies uerò denſitati, leuitatem facit. Non dubium ex his, quæ dicta ſnnt, quin multam inter ſe inuicem ſenſus habeant affinitatem: ſiquidem errores alterius alter explicat, ac excutit. Nam ecce in pictura uiſus excedentia ac prominentia quædam uidet, naſiq́ & id genus aliorum: ad quæ tactus accedens ob ea erroris coarguit. Quemadmodum autem uiſus ſemper & omnia per medium aëra intuetur: ita tactus per medium

medium bacillum dura,& mollia, & humida sentit: sed hoc ratiocinando cum æstimatione: quem sensum homo habet explicatissimum. Hoc sanè sensu, ut etiam gustu, plus cæteris homo habet animalibus: quanquàm in tribus aliis superatur. animal siquidem aliud horum alio trium sensu hominem excellit. at canis in tribus pariter: acutius nanque & audit, & uidet, & odorat, ut ex ipsis animalia fera certum est indagantibus. Et totum nempe corpus tangendi est sensus sedes,ut antè à nobis dictum: & præsertim interiores manuum partes: & in his ipsis adhuc magis tactu uigent digitorum extrema: ea enim tanquam accuratas tactus explorationes habemus: ut manus non acceptorium modò creator homini comparauit instrumentum: sed etiam ad tangendum accommodatissimum: & ob hoc eis pellem substrauit tenuiorem, & musculum toris subiecit, pilorum expertes fecit, quò magis tactum complectantur. quòd autem pilos non fructificent, substratus fuit in causa musculus. Sanè manus duræ ad aliquid accipiendum sunt etiam ualidiores: molliores autem,ad tangendi uim explicatiores,uelut & in neruis est uideri: duri enim ad motum,molles uerò ad sensum sunt accommodatiores: quandoquidem sunt hi tactus instrumenta, quòd ob hos tangendi sensus exortus sit.

DE GVSTV. CAP. IX.


ISVM suprà per rectas spectare lineas memorauimus. at olfactus, et auditus nõ per rectam modò lineam, sed omnifariã. tactus autem & gustus neq; per rectas lineas, neq; undecunq; cognoscunt: sed tum solùm, quum suis adhęserint sensibilibus, præter eos, quos iam definiuimus. Est sanè gustus saporum receptio: eius autem instrumentum lingua, & linguæ potissimum extremum: item cum his palatus, ad quæ ex cerebro defluunt nerui latè explicati, & factam acceptionem ad suum referentes principium. Saporum autem gustabiles uocatæ qualitates hæ ferme sunt, dulcedo, acor, acror, acerbitas, austeritas, amaritudo, salsor, pinguitudo. hæc gustus discernit. At iuxta has qualitates qualitatis expers aqua dicitur, nullam harum inter gustandum demonstrãdo qualitatem: licet iuxta alias uelut frigiditatem, & humiditatem, sibi naturalem habeat qualitatem. acerbitas enim, & austeritas stringendo, & obstipando inuicem inter se differunt. simplices igitur gustus qualitates hæ ferme solæ sunt: compositæ autem infinitæ. In unaquaq; enim specie animalis, ac plantæ suã habentes naturæ proprietatem sunt qualitates. alia siquidem porcina, si ita acciderit, uescimur qualitate: alia caprina. quamobrem & nescientes cuiusmodi sit prolata nobis caro, inter gustandum dignoscimus. quod neutiquam erit, nisi cuiuslibet sua in gustu à cæteris differens fuerit qualitas. Ideo generatim

tim ipsas, quum sint infinitæ, & inter se inuicem distinctæ, comprehenderit nemo. Enimuero ubi simplicium qualitatum una denominatur, ibi qualitas cognoscitur: quæ gustabilium speciei tenuit differentiam. caricæ nimirùm, & uuæ, & palmæ una qualitas dominatur, quæ sanè à dulcedine est; uerũtamen gustus speciei differentias dijudicat.

DE AVDITV. CAP. X.



AVDITVS uocum, & sonorum sensus est censor. cognoscit autem eorum acumen, & grauitatem, lenitatem & asperitatem, & magnitudinem. Instrumenta uerò ipsius molles ex cerebro sunt nerui, & aurium comparatio, atque affectio, præsertim earum cartilaginosum genus; id chondrodes uocant Græci. ad sonos nanque & fragores accommodatus est chondrus. Cæterùm solus homo & simia auriculis non micant: aliorum uerò omnium quæ auriculas habeant animalium, illa ipsis micant.

DE ODORATV. CAP. XI.



ODORATVS per nares genitus uim suam ostendit. terminatur autem ad anteriorum cerebri uentriculorum extrema: nam quum ipsi ne minimã quidem fumigandæ speciei naturam habeant, facilè fumiga-

tiones excipiũt. Dictum autem ſuperius eſt, ut unaquæq; ſenſuum ſedes per ſimilitudinem aliquam, atq; affinitatem ſuis concilietur ſenſibilibus: non tamen ut in alĳs ſenſuum locis neruum dimiſit è cerebro ſenſibilem, ita etiam ad odorandũ: ſed in ipſius extremis neruorum uſum ſupplet, & fumigationũ excipit exhalationem. Fumigationum autem generaliſsima differentia eſt, ſuauis, & teter odor, & qui inter utrunq; medius, qui neque ſuauis, neque teter odor eſt. Bonus ſanè editur odor ab humoribus in corporibus exiſtentibus, & ex eis acri naturæ cura emiſsis. in his mediocriter mediocris habet affectio: minus uerò, aut minimè, teter odor.

DE AESTIMATIONIS SEDE. CAP. XII.



MAGINARII igitur & uis, & inſtrumenta, & particulæ, & particularum communicatio, & differentia, ut nobis dicere conuenerat, & breuiter, & ſatis appoſitè dicta. Nempe ſedis æſtimandi generatim quidem ſunt iudicia, & conſultationes, cautionesq;, & impulſus. Speciatim uerò, eorum quę ſunt cognitiones, & uirtutes, & ſcientiæ, & artium rationes, & conſilium, & aſſenſio. hoc eſt etiam quod nobis per uiſiones diuina profert, futuraq; prædicit: quod ſolùm ueram habere diuinationem Pythagorei Hebræos ſecuti ferunt. Cuius ſanè inſtrumentum

tum medius eſt cerebri uentriculus, & animalis in eo ſpiritus.

DE LOCO MEMORIAE. CAP. XIII.


EMORIAE locus, qui à Græcis mnemoneuticon appellatur, memoriæ & reminiſcentiæ cauſa atque penarium eſt: quæ ſanè memoria, ut inquit Origenes, imaginatio eſt ab ſenſu aliquo per actionem ſignificato expreſſa, atque in cerebri parte derelicta. ut autem Plato, ſenſus & intelligentiæ ſalus, atque cuſtodia. anima enim ſenſibilia per ſenſuum ſedes excipit, unde gignitur opinio: intelligibilia autem, per intellectum, unde intelligentia. Quum igitur eorum quę opinata eſt, & eorum quæ nouit formas conſeruarit, meminiſſe dicitur. Viſus autem eſt Plato in his intelligentiam, neutiquam propriè intelligentiam, ſed animaduerſionem appellare: ſenſu enim utentia, natura ſuapte meminerunt: intellectilia uerò, per accidens. Verùm quum ex præcepta, & prius ſumpta imaginatione eorum, quæ animaduerſa ſunt, memoria concepta ſit, intelligibilia, quæ quidem didicimus, aut audiuimus, tenemus memoria: ſed eorum eſſentiæ memoriam non habemus. nō enim ex propoſita imaginatione intelligibilium acceptio eſt: ſed ex doctrina, quæ naturalis notionis eſt: ſi modò dici poſſumus meminiſſe, quę prius

uidimus, aut audiuimus, aut aliter quoquo modo cognouimus. Illud quod prius dictum est, ad præteritum tempus habet relationem, id manifestum est ex eo, quod recordationes res sunt factæ, & corruptæ in tempore cõsistentes. & est absentium quidem memoria, non tamen ex absentibus gignitur. Reminiscentia autem dicitur ea Græcè anamnesis, quum obliuio mediam interceperit memoriam. Est siquidem reminiscentia iam impressæ tenuiter memoriæ instauratio. fit autem ex obliuione tenuis. Obliuio sanè est memoriæ amissio: sed altera quidem continua est: altera uerò ad quantum cuius est reminiscentia. Altera autem est reminiscentia, quæ obliuio non est eorum, quæ ex sensu sunt, atque intelligentia: sed naturalium notionum. Naturales porrò notiones appellamus omnibus sine doctrina cognitas, ut deum esse. hanc Plato idearum reminiscentiam uocat. quid uerò idea sit, mox dicemus. Imaginarium itaque existimatiuo tradit quæ comparuerunt. existimatiuum autẽ, aut ratiocinatiuum id excipiens, atque diiudicans, ad sedem immitit memoriæ. Huius porrò instrumentum est cerebri in occipite uentriculus, quem parencephalida, & parencranida uocant, & in ipso animalis spiritus. At quoniam sensuum principia, & radices anteriores esse dicimus cerebri uentriculos, existimationis autem medium uentriculum, denique memoriæ sedem in occipite: an hæc ita habeant, expedit demonstrare

monſtrare, ne dictis credere ſine ratione, ac temere uideamur. Atqui aptiſsima illa demum eſt demonſtratio, quæ ex ipſa portionum actione ſumpta eſt. anterioribus enim uentriculis quoquo modo læſis, ſenſus eueſtigiò impediuntur, & exiſtimationis locus manet incolumis. medio autem laborante uentriculo exiſtimatio delirat: at ſenſuum ſedes manēt, ſenſum ſecundum naturam ſuam cuſtodiētes. quòd ſi cum anterioribus medius laboret uentriculus, ratiocinatio cum ſenſibus offenditur. occipite autem laborante, ſola obtunditur memoria: nulla in parte ob hoc ſenſu, & exiſtimatione læſis. Non dubium eſt, quin nobis nunc de motu per impulſum non ſit ſermo. Quòd ſi cum anterioribus, & medius, & poſtremus aliquid patiatur læſionis, tunc & ſenſus, & exiſtimatio, & memoria pariter affligantur: & cum hoc conſequitur totum pariter animal aboleri. Hoc ſanè certiſsimum, quum per multas paſsiones & caſus, tum uel in primis ex dementia. Inſanientium enim multi ſenſus habent incolumes, ſola ratiocinandi parte offenſa. Huiuſmodi enim Galenus deſcribit inſanientem, ut ſacerdote apud ſe operante exurgeret, uaſaq; uitrea ſibi ſumendo, ad ianuamq; procurrendo interrogaret prætereuntes, ſingulos nomine compellando, an uellent uaſa iactari: illis uerò uelle reſpondentibus, primùm uaſa ſingula confregiſſe. deinde adhuc, inquit, præſentes is percunctabatur, ſacerdotem'ne uellent deijci: illis id luſum

ſum fore exiſtimantibus, & uelle reſpondentibus, hinc ſublimem rapit ſacerdotē, & eum ex ſuperiore loco agit præcipitem. Is itaque ſanos quidem ſenſus habuit: nam quòd hæc uaſa eſſent, nouerat, ac quòd ille ſacerdos: at exiſtimatione afflictabatur. Aliqui inanem ducunt imaginationem, dum ſe uidere putant, quæ minimè uident: in cæteris uerò ratione ſapiunt. hi primores ſolos offendere uentriculos, medio prorſus illæſo, ac ſine paſsione: ab paſsionibus enim ſingulas comitantibus particulas ſingulæ earum impediuntur actiones. in ea ſiquidem offenditur animal actione, cuius læſa particula eſt, quæ actioni genita erat accommodata. ueluti pede læſo, quo minus deambulemus, impediamur neceſſe eſt: quandoquidem hæc pedi ſibi innata fuit actio.

DE RATIOCINATIONE, ET PROLATIONE. CAP. XIIII.



NIMAE igitur una hæc potentiæ diuiſio eſt, quæ corporis aliquas unà diuidit partes. At altera diuiſio alio pacto animæ rationalis eſt, in eam partem, quę ratiocinatio, & eam, quæ prolatio nominatur. Eſt autem ratiocinatio animæ commotio ex rationali parte ſuſcitata abſque prolocutione aliqua: unde ſæpenumero totam apud nos taciti rationem aliquam

quam percurrimus, & in somnis disputamus, & ob hoc rationales cuncti in primis habemur: nec tam ob prolatam rationem, quàm ob hoc. Nam & qui nati sunt stolidi, & qui ab affectu aliquo, aut langore uocem amiserunt, nihilominus sunt rationales. Rationis sanè prolatio in uoce, & linguarum uarietate habet actionem. Vocis autem instrumenta sunt multa. intra media siquidem latera, musculi, & torax, & pulmo, salebrosaque arteria, & guttur, & horum potissimum chondrodes, & recurrentes nerui, & glottis, & has omnes mouẽtes particulas musculi efflationis sunt instrumenta: loquendi autem uarietatis, os. in hoc ipso nanque fingitur & formatur, & ferè habitum sumit linguæ diuersa prolatio: lingua quidem, & gurgulione plectri rationem habentibus: palato autem, uocis refractionis: dentibus porrò, & quali oris rictu, ut in lyra chordis usum supplentibus, & naso pariter nonnihil perficiente ad uocalitatem, seu uocis uenustatem: ueluti ex canentibus uideri certum est. Diuidũt autem & aliter animam, in potentias, aut species, aut partes, inque naturale, quod & nutritorium & passiuum uocatur, & in sensile, atque in rationale. Cuiuslibet autem horum instrumenta alia quidem dicta sunt, alia uerò in sequentibus dicentur. Zeno autem Stoicus animam octo cõstare partibus uoluit, ipsam in id quod pr ncipale est diuidens, & in quinque sensus, & in uocale, qui per impulsum motus animæ quoque partem

n esse

esse uult: rectißimè dicens: Seminalem uerò non animæ, sed naturæ partem. At Aristoteles in Physicis quidem quinq; animæ partes facit, uegetatiuã, & sensitiuam, & mobilem per locum, & appetitiuã, & intellectiuam: uegetatiuam appellans, nutrire, & augere, & generare faciens, & informans corpora, atq; confingens. hoc sanè uegetatiuam uocat, & nutritorium uniuersum, à potentißima parte nutriẽte nominãs, & unde cæteræ partes uegetatiuę extitêre. atque in Physicis ita ferme diuisit. In Ethicis autem in duo prima, ac generalißima diuisit animam, in partem rationalem, & rationis expertem. Diuidit porrò rationis expertem, in id quod obtemperat, & in id quod minimè obtemperat rationi. Sed de rationali hactenus dictum. nunc reliquum est, ut de irrationali disputemus.

DE IRRATIONALI ANIMÆ PARTE, SIUE SPECIE, QUÆ PAßIUA & NUTRITIUA UOCATUR.

CAP. XV.



Rrationalitatem (si mihi ita loqui liceat) sunt qui à ratione seponant, & ita per se dicant consistere, sicut & irrationalem animã, nec rationalis partem esse putent animæ. Primùm quidem, quòd & per se in ratione carentibus inuenitur animalibus, unde perfecta quædam indicatur anima, & non pars alterius: seu quod

quod maximè alienum eſt, rationalis pars eſt irrationalis. Ariſtoteles autem eam & partem, & potentiam rationalis animæ dicit: & in duo, ut diximus, diuidit. Vocatur porrò hæc communiter etiam appetitiua: cuius eſt & per impulſum motus, ſiquidem appetitus motus eſt initium. Appetentia enim animalia impulſu ad motum proruunt. Cæterùm, irrationalis rationi pars una obedit, altera uerò non obedit. Rurſus, obtemperans rationi in duo diuiditur, in concupiſcibile, & iraſcibile. Inſtrumenta ſunt concupiſcibilis quidem eius quod per ſenſum eſt hepar: iraſcibilis autem cor, pars dura, & accommodati motus capax ad duriciem ſuggerendam, & conſonum impulſum inſtituendum: quemadmodum hepar inteſtinum molle mollis eſt cupiditatis inſtrumentum. Dicuntur autem hæc rationi obtemperantia: quòd nata ſint idonea obedire rationi, & ſubijci, & moueri perinde ac iuſſerit ratio in his, quę per naturam homines habuerint. & hæ paſsiones eſſentiam animalem conſtituunt, ut ſine eis uita eſſe ulla non queat. At quoniam paſsio æquiuocè dicitur, explicanda primùm ipſa eſt æquiuocatio. appellatur nanqꝫ paſsio & corporalis, ut morbi, & ulcera: & paſsio animalis nominatur, de qua nunc habetur oratio, concupiſcentia, & furor. Eſt ſanè communiter & generaliter animantis paſsio, quam conſequitur uoluptas, aut ægrimonia. Comitatur autem paſsionem ægrimonia, nec ipſa paſsio ægrimo-

nia eſt. Nam ſi hoc detur, omne patiens doleat neceſſe eſt. atqui inſenſilia patiũtur quidem, ſed tamen non dolent. non ergo paſsio eſt dolor, ſed paſsionis ſenſus: uerùm hunc inſignem eſſe oportet, ut ſenſui ſubijciatur. Cæterùm animæ paſsionum hæc definitio eſt: Paſsio eſt motus appetitiuæ potentiæ ſenſibilis in boni, aut mali imaginatione. & aliter: Paſsio eſt animæ motus irrationalis ex boni, aut mali opinione excitatus. At generalis paſsio ita definitur: Paſsio eſt in altero motus ex alterius commotione. Actio autem eſt motus effectiuus. Effectiuũ autem dicitur, quod per ſeſe motum eſt. Ita igitur & furor actio eſt furiata: paſsio autem duarum animæ partium, & item totius corporis noſtri, quum à furore ad agendum uiolenter agitatur: tum enim ex altero in alterum fit motus, quam dicebamus paſsionem. Et alio modo actio, paſsio dicitur, quum fuerit præter naturam. Actio enim motus ſecundum naturam eſt: paſsio autem contra naturam. Hac igitur de cauſa actio, quum non ſecundum naturam mouetur, paſsio nominatur: quum autem ex ſeſe mouebitur, ſeu quum ex altero, ueluti ex corde per uenas pulſatiles motus fuerit, actio eſt: per tremores autem febriles, paſsio. ex ſe ſiquidem eſt, & per febriles tremores motus, at non à natura. ex ſe porrò & pulſatilium uenarum eſt, ſed à natura. Non ergo mirandum uideatur unam atq; eandem rem & paſsionem, & actionem nominari. Per quod enim mo-

tus ex

tus ex sese sunt passiuæ partis animæ, per id quædam sunt actiones: quatenus autem mediocritatem excedunt, nec à natura sunt, eatenus actiones non sunt, sed passiones. Ita igitur irrationalis partis habet motus, & secundum binas significationes est passio. Nec sanè omnis passiuæ partis motus passio uocatur, sed qui uehementes sunt, & ad sensum usque perueniunt. pusilli enim, & insensibiles necdum sunt passiones: passionem enim & insignem magnitudinẽ habere oportet. quamobrem passionis definitioni adhæsit motus sensibilis: exigui siquidem motus, sensumq́ fugientes, passionem, ut iam dictum est, non faciunt.

DE CONCVPISCIBILI. CAP. XVI.



DIVIDITVR itaque, ut diximus, animæ irrationale rationi obediens in duo, in concupiscibile, & irascibile. Concupiscibile rursus in duo etiã diuiditur, in uoluptates, & ægrimonias. Adueniens enim cupiditas uoluptatem parit: subtracta uerò, ęgrimoniam. Rursum & alio modo diuisa cupiditas quatuor secum omnes adducit species: quoniam eorum quæ sunt, quædam sunt bona, quædam mala: & singulorum quædam adsunt, quædam expectãtur. & per hos modos singulis in bina multiplicatis, quæ concupiscentiæ sunt, in quatuor diuiduntur.

Est siquidem bonũ, & malum: & rursus præsens, & expectatũ. expectatũ quidem bonum, desideriũ est: iam uerò præsens, uoluptas. porrò expectatũ malum, metus: præsens autem, ægrimonia. Circa bona enim uersatur uoluptas, & desiderium: circa mala autem, metus, & ægrimonia. Quamobrem quidam passionem in quatuor diuidunt, desiderium, uoluptatem, metum, & ægrimoniam. Bona autem & mala dicimus, aut quæ uerè sunt, aut quæ putantur. Cæterùm in anima propter tria perniciosæ gignuntur passiones, propter malam uitam, propter inscitiam, propter malum habitum. Nam honestè à pueris non educati, ut passionibus possimus dominari, in ipsarum immoderãtiam incidimus. Propter inscitiam autem falsa iudicia in parte rationali animæ educantur, adeò ut mala utilia esse putentur: & utilia mala. Ex malo autem habitu corporis aliqua mala nascũtur. iracundi enim sunt, qui acris sunt bilis, & feroces temperamento calidi & humidi. Summittenda igitur mala consuetudo honestæ consuetudini est: inscitia uerò, disciplinæ, & scientiæ. Pernicioso autem habitui medendum in corpore, quò transmutemus ipsum, utcunque possibile fuerit, in mediocre temperamentũ, & exercitijs, & medelis, si modò ipsis nobis opus fuerit.

DE VOLVPTATIBVS.

CAP. XVII.



VOLVPTATVM aliç quidem ſunt animales, aliæ uerò corporales. Animales quidem quæ per ſeſe animç ſunt: quẽadmodum quæ circa diſciplinas, atque ſpeculationem. hæ nanque & huiuſmodi animæ ſunt duntaxat. Corporales uerò, quæ ex communicatione corporis & animæ gignuntur: ob idq́; corporales appellatæ: ſicut quæ circa nutrimenta, & coitus. Solius autem corporis non quiſquam peculiares facilè inuenerit uoluptates, ſed paſsiones, ut ſectiones, & fluxus, & quæ circa temperamẽtum qualitates. Omnis enim uoluptas cum ſenſu. ſenſum porrò animalem eſſe demonſtrauimus, nec dubium quin ex eis, quæ multifariè dicuntur, uoluptas procreetur: nam ſub altero alterum genus eſt: ac prout ſtudia, ita uoluptates: hæ quidem bonæ, illæ uerò malç: & hæ quidem falſæ, illæ autẽ ueræ: & hæ quidem ſolius per ſcientiam cognitionis, illæ autem per ſenſum in corpore concluſæ. & earum porrò ipſarum, quæ à ſenſu demanant, aliç quidem ſunt naturales, aliæ uerò minimè: & uoluptati quæ eſt in bibendo, opponitur in ſitiendo ægrimonia: ei autem quæ in ſpeculatione uerſatur, nihil. Quæ ſanè omnia uoluptatem ęquiuocam eſſe oſtendunt. Corporalium autem quæ dictæ ſunt uoluptatum, aliæ quidem neceſſariç pariterq́; naturales, ſine quibus

bus uiuere impossibile est: ut nutrimenta, quæ egestatis sunt supplemēta, & necessaria indumēta. Naturales ac non necessariæ, ut naturales & legitimi coitus. hæ nanque ad generis humani permanentiam faciunt: ueruntamen possibile etiam est absq; his in uirginitate uiuere. Aliæ porrò neque necessariæ, neque naturales, ut ebrietas, fornicatio, & saturitates modum excedentes. Neque enim ad generis propagationem nobis conceduntur, ut legitimæ copulę, neque ad ualetudinem confirmandam: quinimo potius officiunt. Viuenti itaque, ut deum consequatur, solas ei prosequendum est necessarias, pariterq; naturales uoluptates. Post illum autem, ac secundo loco uirtutibus inhærenti, has & naturales quidem, sed etiam non necessarias cum decore, & modo, & mensura, & opportunitate, & loco accipiendum: cæteras uerò quocunque modo fugiendum. Illas demum generaliter putandum est honestas esse uoluptates, quæ ægrimoniæ minimè implicantur, neque negligentiam gignunt, neque offendiculi alicuius sunt procreatrices, neque mediocritatem excedentes, neque studiosa exercitia nobis eripientes: at in plerisque nobis se suppetentes, seruitiumq; suggerentes. Propriè autem illæ dici debent uoluptates, quæ in diuina cognitione, & in scientijs, & in uirtutibus quodam modo uersantur, aut implicitæ sunt. Sed enim quæ studiosæ in primo loco ponendę sunt, nō ob id duntaxat quòd

sunt

ſunt (non enim generis propagatio hîc quæritur) at quo bene ſit. quippe quæ ſtudioſos & diuina amantes efficiant, & ipſam hominis ab anima & intelligentia proficiſcentem perfectionē, quæ paſsionibus aliquibus minimè inſeruiunt, uelut quæ egeſtatem explent. ubi neq; præcedit, aut ſequitur, aduerſatur'ue ægrimonia, ſed huiuſmodi, ut ſint puræ & immixtæ, & omnis materioſæ complexionis expertes: quippe quòd tantummodo ſunt animales. Enimuero, ut Plato cenſet, uoluptatū aliæ quidem ſunt falſæ, aliæ autem ueræ: falſæ quæcunque de ſenſu gignuntur, & opinione minimè uera, & quæ ægrimonias unà habent comites, atq; implicitas: ueræ quæcunque ſolius duntaxat ſunt animæ per ſeſe cum ſcientia, & mente, & prudentia, puræ, & abſque ulla ægrimoniæ mixtura, quasq; nulla unquam comitatur pœnitentia. Has autem uoluptates, quæ ſpeculationem & honeſtas comitantur actiones, non paſsiones quidam uocant, ſed ſuauitates. Quidam uerò huiuſmodi uoluptatē, lætitiam nuncupant. Definiunt enim uoluptatem, generationem in naturam ſenſilem. Hæc autem definitio corporalis ſolùm uidetur uoluptatis. nam egeſtatis ſupplementum quoddam eſt, & medela corporalis. Quapropter egeſtatem ægrimoniam anteire neceſſe eſt. ſiquidem rigentes, aut ſitientes ſummiſsi à rigore, & ſiti ægrimoniam ſubimus: at in calefaciendo, & bibendo oblectamur. Per accidens igitur ſunt

bonæ,& non per ſeſe,necꝙ natura. Nam quēadmodum ſanare per accidens eſt bonum ; ſanum autem eſſe,natura, & per ſeſe : ita & ipſæ per accidens ſunt bonæ,quum ſint quædam medicinæ. Verumenimuero ſpeculandi uoluptates per ſeſe bonæ ſunt , & natura : non enim ex egeſtate procreātur. Hinc igitur manifeſtum , quòd non omnis uoluptas egeſtatis eſt ſuppletrix. quod ſi ita, non eſt ea abſoluta & conſummata definitio, quæ ait, Voluptas eſt, quæ naturæ ſenſibili procreat aliquid : nam non omnes complectitur uoluptates: ſed eam quæ de ſpeculatione naſcitur , prætermittit. Epicurus quoꝙ uoluptatem definiens , dum ipſam ait omnis rei ægrimoniam procreantis eſſe ſubtractionem ; idem inquit,quod qui dicunt,in natura ſenſibili rei alicuius eſſe genitricem . nam ægreſcentis permutationem uoluptatem eſſe aſſerit. Quòd ſi generatio nulla proprijs perfectionibus ſimilis procreationis eſt,affinis'ue, ne quidem uoluptatis generationem uoluptatem eſſe putandum eſt , ſed præter uoluptatem quicquam aliud.generando ſiquidem generatio eſt. nihil enim eorum quæ gignuntur, unà fit , & facit: ſed certum quòd utrunꝙ ſeparatim.atqui uoluptarium aggregatim ſimulꝙ delectat. non ergo generatio uoluptas. Item,omnis generatio eſt non entis, uoluptas uerò eorum eſt quæ iam ſunt. non ergo generatio uoluptas. Rurſus, generatio quidem uelox & tarda dicitur;uoluptas autem non. Præterea,

bonorum

bonorum quædam ſunt habitus, quædam actio, quædam inſtrumenta: habitus quidem, ut uirtus: actio autem, ut per uirtutem operatio. Et rurſus, habitus quidem, ut uiſus: actio autem, ut uidere: inſtrumenta uerò, quibus cum agimus, ſicut oculi & opes, ac cætera huiuſmodi. Sanè omnes quæ erga bona, & mala ſunt animales potentiæ, habituū ſunt aliquorum potentiæ. quòd ſi uoluptas bonum ſit, non in his erit ſolis malum. atqui habitus non eſt. neq; enim eſt ut uirtus: quandoquidem non tam facilè in ſibi aduerſam dilaberetur ægrimoniam: neq; utpote priuationi oppoſita circa idem eſſet. impoſſibile ſiquidem eſt in eodem habitum & priuationē eſſe. ſed pariter aliqui delectantur, & triſtantur, ſicut dormientes. non eſt ergo habitus uoluptas. At ne inſtrumentum quidem: inſtrumēta enim & propter alia ſunt, & propter ſe: uoluptas autem non propter aliud, ſed propter ſe tantùm. non igitur eſt inſtrumentum uoluptas. Reliquum itaq; eſt, ut ſit actio. Quamobrem & Ariſtoteles ipſam definit, à natura ortam actionem, quæ ab habitu impediri non poſsit. actionis enim à natura impedimentum ægrimonia eſt. Cæterùm, felicitas quoque actio eſt, quæ impediri non poteſt ab habitu, qui à natura demanat. Secundum hanc igitur definitionem, felicitatem, uoluptatem eſſe accidit. atque ita falſam eſſe definitionem. Eam itaque corrigens uoluptatem ſimul definiuit animalis à natura tributum finem ex

actionibus minimè impeditis. Proinde & conformari, ac cum felicitate existere uoluptatem uult: uerùm uoluptatē non esse felicitatem. Cæterùm, non omnis actio motus est, est siquidem inueniri aliquā sine motu actionem, qua primus agit deus: primum enim mouens immobile est. Huiusmodi & in hominibus est speculandi actio, nam propter immobilitatem, quod speculatione comprehensum est, unum & idem est semper, & speculantis intelligentia confirmatur, quòd circa unum & idem semper obuersetur. Quòd si ulla speculandi est uoluptas, ea maxima, & eminentissima, ac uera est, quoniam immobilis. Non dubium autem quin earum quæ de minoribus motibus oriuntur, quò de minoribus ortæ fuerint, eò sint præstantiores, & meliores. Enimuero quot actionum species, totidem sunt & uoluptatum: & honestarum quidem, honestæ: turpium uerò, turpes. Illud quoq; certum, quòd iuxta quemlibet sensum diuersæ etiam sunt specie uoluptates: aliæ siquidem tactus sunt, quàm gustus: & aliæ uisus, quàm auditus, aut odoratus. Sanè puriores ac defecatiores illæ sunt sensuum uoluptates, quæ delectant, sensibilia neutiquam attingentes, ueluti uisus, & auditus, & odoratus. Prætereà quæ sub existimationem cadunt, duæ sunt species: una quidem effectrix, altera uerò speculatrix. Quocirca non dubium est, quin uoluptatum, quæ his accidunt actionibus, duæ sint species: & harum purior speculatiua, quàm

ua, quàm effectrix. Speculatrices enim hominis, in eo quod homo est, sunt propriæ: atqui sensitiuæ cum cæteris homini sunt communes animalibus. At quoniam sensilium uoluptatum alij quidē alijs, alij autem alijs oblectantur: non demum quæ à malis, sed quæ à studiosis probandæ uisæ sunt, per sese probandæ. In omni enim re iudex ille rectus est, non qui ut accidit datus, sed qui scitus, & à natura bene institutus est.

DE AEGRIMONIA. CAP. XVIII.



AEGRIMONIAE species sunt quatuor, mœror, solicitudo, inuidia, miseratio. Est sanè mœror ægrimonia mussitantem, & tacibundum hominem efficiens: Solicitudo autem ægrimonia aggrauans, & auxilium reddens: Inuidia uerò de alienis bonis ægrimonia: Miseratio autem de alienis malis ægrimonia. Planè omnis ægrimonia malum natura reciprocum est, ac in se rediens. Nam si uir studiosus aliquando ægrescet in bonorum uirorum, aut filiorum abolitione, aut ciuitatis depopulatione: non id præcipuè, ac quòd ita sibi proponat, sed per circunstantiam, atque in hisce. qui autem speculatur, is sine perturbatione prorsus erit: ob id hinc se alienans, & se deo coniungens: studiosus uerò, in ipsis mediocriter afficietur non excedens, neque ab ipsis

subactus, summissusq́ erit, sed eisdem potius imperabit. Opponitur sanè ægrimonia, ut honestum turpi, mediocri uoluptati: ut autem malum malo, excedenti uoluptati. In corporalibus nimirum uoluptatibus excessus procreantur solis. nam speculatiuæ, utpote quæ excelsæ sunt, & consummationem habentes, nullum admittunt excessum: quandoquidem non ipsis opponitur ægrimonia: neque præcedente ægrimonia de ullo gignuntur seruitio.

DE IRA. CAP. XIX.



IRA est sanguinis circa cor ebullitio, & æstus, per bilis exhalationem subsultationem'ue excitata: unde & bilis dicitur, & cholera. Est etiam quando ira est ulciscēdi appetitus. Affecti nanque iniuria, aut existimantes nos iniuria lacessitos excandescimus, & tum mixtus procreatur affectus ex cupiditate & ira. Iræ nempe species sunt tres, morositas, succensio, cholera, quæ uocatur iracundia. simultas ira siquidem principium & commotionem habens, morositas, & bilis, & excandescentia dicitur. Iracundia autem bilis est in diuturnitatem perducta. appellatur autem ab ira, & condo, unius literæ inuersione: quòd memoriæ commendetur. Simultas porrò ira est, quæ occasionem ad ulciscendum obseruat: quanquàm à simulatione nomen adepta est. Est sanè ira obstipatio, & satellitium ratiocinatio-

nis. Nam quum indignationi locum esse putauerit, ac iudicauerit, tum demum ira, furorq́; prosilit euagatus, quum à natura domesticum ordinem singula seruauerint.

DE METV. CAP. XX.



ETVS in sex diuiditur species, segniciem, pudorem, uerecundiam, stuporem, trepidationem, & solicitudinem. Est autem segnitia futuræ & debitæ actionis metus: Stupor ex inconsueta imaginatione metus: Trepidatio est metus uoce, & motu corporis expressus: Solicitudo est metus dilabendi atque sub casum aliquem succidendi: metuentes enim agendo, ne nos fortuna frustretur, sumus anxij, atque solliciti: Pudor est metus de expectatione uituperationis excitatus: honestissimus autem hic affectus est: Verecundia est metus in turpitudine commissa: ubi tamen salutis expes non sit. Differunt autem pudor & uerecuudia, quòd uerecundus, ob ea, quæ commisit, confunditur, atque contabescit: pudibundus autem de præclara opinione, atque adeò gloria, in qua sit, excidere metuit. Veruntamen ueteres sæpenumero pudorem uerecundiam, & uerecundiam pudorem uocant abusi nominibus. Fit autem metus per totius caloris ex frigore contractionem ad cor ipsum undique decurrentis, utpote ad suam sedem, quam primam tenet: perinde atque populus, quum

quum metuit, perfugit ad primates. Cæterùm ægrimoniæ instrumentum os est uentris. Nam in ægrimonijs id sensile sese demonstrat: ueluti Galenus in tertio de Demonstratione ita propemodū inquit: Mœrentibus nobis non parùm flauæ bilis in uentrem defluit: quod sanè molestiam exhibet, ut non prius à mœstitia, & cruciatu cessemus, quàm bilem euomuerimus. Gignitur enim grauitas infernè per medium pectus chondri xiphoidis nuncupati. multò autem superius cor iacet: siquidem diaphragmatis uenter infernè, cor autem supernè iacet: tametsi ueteres cor etiam os uentris uocare soliti sunt: sicut Hippocrates, et Thucydides in Loëmo ita ferme inquiens: Si unquam in cor confirmasset, præuertebat ipsum, & repurgationes bilis omnes quæcunque sunt à medicis nominatæ, constitêre. Præuersum enim os uentris est manere coactum, non utique ipsum intestinum cor.

DE IRRATIONALI, ET INOBEDIENTE RATIONI.

CAP. XXI.



OBEDIENS rationi hoc modo habet. Inobediens uerò rationi est nutritiuum, & generatiuum, & pulsatile. appellatur sanè naturale quidē nutritiuum, & generatiuum: uitale autem pulsatile.

DE

DE NVTRITIVO.

CAP. XXII.


VTRITIVI naturales potētiȩ sunt quatuor, appetitiua, retentiua, expulsiua, & distributiua. Vnaquæq; enim animalis particula suum ad se naturaliter trahit nutrimentum, & tractum retinet, & retentum in se transmutat, atq; ita superfluum expellit. ac hæ ipsæ sunt potentiæ quæ nutrimentū corporis particularum distribuunt. unde augumentum, quod per longitudinem, ac latitudinem fit. secernit autem atq; expellit superflua, per aluum, per urinam, per uomitus, per sudores, per os, per nares, per aures, per oculos, per spirationem, perq; incertos meatus. alia enim discernicula prodita & aperta sunt: per aures, quæ cypsele nominatur, quæ aurium sordes est: per oculos, lachrymæ, & lippitudines: per respirationem, ex corde fumi caloris euaporatio. Incertos meatus totius corporis efflationem dicimus: ob quam ex profundo & arteriarum correptione plurimæ exhalationes per cutis raritatem permeāt. Instrumenta porrò nutritiui sunt os, & stomachus, & uenter, & hepar, uenæq; omnes, & intestina, & biles ambæ, & renes. os nanq; primum uentri præparat nutrimentū in tenues ipsum partes dentibus & lingua concidens: maximum siquidem & lingua usum præbet mandendo congregās nutrimentum, & dentibus subijciendo: quemadmodū qui manu

frumentum moliendum subijcit molis. nam & lingua ad manducandũ uersandumq́ue ore cibum quodammodo manus est. Ita deinde obuersatum & concoctum nutrimentum à stomacho in uentrem demittitur. Stomachus enim non modò egestatis sensus est sedes, sed etiam ciborum transmissor. accurrit siquidem inter bibendum, & nutrimentum prosequitur, & in aluum demittit: quod excipiens aluus separat utile, & nutritorium à lapidoso, & materioso, & eo, quod uim nullam habeat nutriendi: & utile quidem in humores transmutans id remittit ad iecur per uenas per sese emungentes, & ad iecur in riuulorum morem adducentes. Sunt autem huiusmodi uenæ, quæ à uentre nutrimentum ad iecur eliciunt, perinde atque radices, quæ ex terra ad plantas euehunt nutrimenta. Assimilatur nanque aluus terræ, quæ nutrimentum suppetit plantis: radicibus porrò uenæ, quæ ad fores ac iecoris ima humorem perducunt, eumq́ue à uentre & ab intestinis per medium defluxum: cipo uidelicet uenter: ipsi uerò stipiti iecur assimilatur, ramisq́ue ac flagellis uenæ ab alui uena descissæ, quæ ex hepatis gibbo orta educitur. Cæterùm, ab aluo humorem excipiens iecur ipsum concoquit, ac sibi similem reddit: quippe quòd sanguini simillimam habet carnem, humorem in sanguinem iure transmutat. Sanguis porrò per lienem purgatur, & bilis exceptricem uesicam, & renes: liene quidem terrestre & feculen-

tum

tum attrahente, & sibi nutrimentum comparante: uesica uerò bilis exceptrice acutum ex nutrimento, quod in humoribus continetur, colligente: renibus autem aceruatum cum circùm relicto acuto elicientibus, quò reliquus sanguis purus & utilis efficiatur, ut in alias omnes corporis partes nutrimenti uim habens distribuatur per dispersas, ac dissеminatas in ipsis uenas. Atq; ita pars quælibet sanguinem eliciens, & retinens, & transmutans in suam naturam, superfluũ uicinis remittit particulis, aptum illis futurum nutrimentum: & hoc modo cunctæ partes ex sanguine nutriuntur, augentur, permanent, iecore ipsum suggerẽte. Ideo autem irrationalis hæc pars appellatur, quòd rationi minimè obtemperet: quandoquidem non ex nostra utiq; sententia, neque ab assensione, sed natura suapte quod suum fuit, prosequitur, & conficit.

DE PVLSIBVS.
CAP. XXIII.



PVLSVS uocatur motus ac uitalis potentia, cuius cor est principium: & præsertim aluus eius sinistra nominata spiritalis: ingenitamq; sibi ac uitalem caliditatem omni corporis particulæ per arterias distribuit, sicut iecur per uenas nutrimentum. Proinde æstuante corde, euestigio totum animal præter naturam exæstuat; & frigente, friget. uitalis siquidem

ab eo ſpiritus per arterias in totum corpus diffunditur. Secantur autem pariter ferme inter ſe inuicem tria hęc, uena, arteria, neruus, quæ ex tribus ſcatent principijs animal adminiſtrantibus: ex cerebro quidem, quòd motus & ſenſus principium eſt neruus: ex iecore autem, quòd ſanguinis fons eſt, & nutriendi uena uas ſanguinis: ex corde uerò, quòd uitale exordium eſt uas ſpiritus arteria. Hæc ſanè ſibi inuicem adhærentia præſentaneo inter ſe uiciſsim ſuo fruuntur adiumento: uena enim nutrimentũ neruo ſuggerit, & arteriæ: arteria porrò naturalem uenæ calorem, & uitalem exhibet ſpiritum. quamobrem non eſt arteriam inueniri ſine tenui ſanguine, neque uenam ſine fumido, & uaporoſo ſpiritu. Diducitur autem plurimùm, & corripitur arteria, harmonia quadam, atque ratione, motus principium à corde ſumens: ſed diducta ex adhærentibus uenis tenuem per uim ſanguinem attrahit, qui euaporans uitali ſpiritui ſuppetit nutrimentum. rurſus correpta æſtum, qui in ipſa eſt, exinaniẽs per uniuerſum corpus, ac meatus incertos protrudit. nam cor quicquid purulentum & tenax habet, per os & naſum euaporaria propellit.

DE GENERATIVO SIVE SEMINARIO.

CAP. XXIIII.

Generat

ENERATIVVM quoque in ea parte locari par eſt, quæ rationi nequaquam obtemperat. Inconſultò enim, & in ſomno ſemen emittimus. necnon coitus cupiditas eſt naturalis. inuiti ſiquidem ad ipſam commouemur. at agitatio in nobis: quippe quę animalis ſine controuerſia eſt: quandoquidem inſtrumentorũ commotione conſummatur. atqui inhibere, & imperare commotioni, in nobis eſt. Cæterùm, ſeminalis potẽtiæ inſtrumenta in primis uenæ ſunt, & arteriæ. in his enim primò proſiliens humidum procreatur, tranſmutato in ipſum ſanguine, quemadmodum in lac intra mamillas. nutrimentum nanque huiuſmodi uaſorum eſt hic nimirùm humor: principium enim ex ſemine ipſorum generatio eſt. excoquunt igitur arteriæ, & uenæ ſanguinem in feruens humidum, quo nutriantur. at quod ex ipſarum nutrimento redundat, coitus ſemen efficitur. Differtur autẽ primùm multo ad caput ambitu: rurſus à capite per binas uenas, binaſq; arterias defertur. Quocirca ſi quis eas uenas, quæ ſecundum auriculas ſunt, & ſecundum carotidas ſecuerit, continuò ſterile faciet animal. hæ nempe ipſę uenæ & arteriæ reuoluuntur, & in cirri modum implicantur apud oſcheum, ubi feruens humidum in geminorum utrunque perrumpit. una eſt arteria, & una uena ſemine plenæ, in quibus perfectè diſſeminatur, & per reuolutionem aſsiſtentis ſecundum

geminos cum ſpiritu ſecernit: quippe quòd ipſum dimittit arteria. Quòd autem & à uena feratur, id ex profuſa libidine certum eſt. nam quum ſæpius coiuerint, abſumpſerintq́ꝫ ſeminarium, atque feruentem humorem: tum demum ex uiolento illectu ſanguinem purum ſecernunt. Nec minus certè mulieres omnes has, quàm uiri, habent particulas: uerùm intus, non utique extrà. Ariſtoteles tamen & Democritus nihil ad filiorum generationem mulieris ſemen uolunt perficere: emiſſum ſiquidem à mulieribus eius partis ſudorem potius quàm ſemẽ eſſe arbitrantur. At Galenus Ariſtotelem reprehendens, ſemen ait certò mulieres remittere, & amborum ſeminum mixtionem undam efficere: inde & coitum mixtionem dici, non tamen perfectum & conſummatũ, ut uiri ſemen, eſſe: uerùm necdum digeſtum, atqꝫ concoctum, & perinde humidius eſſe. Quòd quum tale ſit mulieris ſemen, uiri ſeminis efficitur intrimentum. Ex hoc pars quædam loci eſt, qui circa apices matricis confirmatur, & qui allantoides nominatur, is eſt receptaculum embryi ſuperfluitatum. Sanè in uno quôque genere animalis tum fœmina init marem, quum ad fœtum faciendum eſt idonea. Itaque quæ fœtificare ſemper poſſunt, illæ ſemper iniunt marem, coitumq́ꝫ admittunt. Mulieres uerò ſicut in cæteris liberum habent arbitrium, ita & in coitu poſteà quàm conceperint. nam rationis expertia non à ſe, ſed naturæ

regula

regula gubernantur, & modum & opportunitatem præscriptam, atque definitam suscipiunt.

ALIA DIVISIO POTENTIARVM ANIMANTEM PROSEQVENTIVM. CAP. XXV.


IVIDVNT sanè adhuc aliter animalis potentias: animales alias, alias naturales, uitales alias appellantes. Animales igitur sunt, quæ cum assensione: naturales autem, & uitales sine assensione. Et animales quidem sunt duæ; una quæ ad motum impulsum habet, altera uerò sensus appellatur. Quæ porrò ad motum impulsum habet, eius sunt species, progressus, totius corporis mobilitas, uocalitas, & respiratio. in nobis siquidem hæc est facere, & non facere. Naturales autem & uitales non utique in nobis. nam siue uolentibus, siue nolentibus nobis sese educunt, uelut nutritoria, & augendi uis, & seminandi; quippe quæ sunt naturales. item pulsatilis, quæ uitalis est. Cæterorum, quum suprà sint exposita instrumenta, nunc eius motus qui assensionis, ac electionis est, dicetur instrumentum.

DE MOTV PER IMPVLSVM, ET ASSENSIONEM QVI EST APPETITIVVS. CAP. VI.

EST



ST igitur per aſſenſionem, uel per motus impulſum principium quidem cerebrum, & in tergo medulla, quæ & ipſa cerebri pars eſt. Inſtrumenta uerò, qui ex his ducti ſunt nerui, & nodi, & muſculi: ſed muſculi conſtant ex pulpis, & nerueis inibus, atque tenontibus, qui ex nerueis complicationibus ſtabiliuntur. Quapropter ipſos quidam ſenſibiles eſſe cenſuerunt, propter ſenſum, quem neruis implexum gerunt. Eſt igitur tenon ex nodo & tenuibus neruis compoſitus. Differt autem à neruo tenon, quòd omnis neruus ſenſilis eſt & teres, & molliuſculus, & à cerebro capit initium: tenon uerò & duriuſculus, & ex oſſe, & per ſeſe inſenſibilis: eſt etiam aliquando latus. Manus autem ad accipiendum ſunt inſtrumentum, artibusq́ aptiſsimum. nam ſi quis manus auferat, aut ſolos manuum digitos, ad omnes propè artes capeſſendas facit inutiliſsimum hominem. Ideo & ſolus homo, quoniam rationalis eſt, & artium capax, manus à creatore obtinuit. Pedes autem gradiendi inſtrumentum: pedibus enim ad locum motum facimus. Cæterùm, ſolus homo ſedet nullo indigens adminiculo: ſolusq́ ad duos angulos rectos in robore coxendices inflectit, poplitem alterum intrinſecus, forinſecus alterum tenendo. Quæcunque igitur à neruis, & muſculis mouentur, cuncta hæc animæ propria ſunt, & ab aſſenſione conficiuntur. Horum autem & ſenſus, & uocem

cem esse demonstrauimus. Hæc igitur est, quæ tam animalia, quàm naturalia opera ratione perpendit. Creator itaque suo sublimi consilio animalia naturalibus implicuit, & econtrario. nam superfluitatum egestio dijudicandi potentiæ est, quæ naturalium potentiarum una est, ne sine assensione id prosequentes in turpitudinē incidamus: ubi non oportet, & quando non oportet, & in quibus non oportet. hostiarios quosdā præmissos egestionibus constituit musculos: atque ita naturæ opera effecit animalia. Egestiones itaq; ob hoc & sæpe, & diu possumus continere. Demittuntur sanè à medio, & à primoribus cerebri uentriculis sensiles, & molles nerui: duriores autem, & mobiles ab occipitis uentriculo, & tergi medulla. atqui longè duriores sunt, qui à tergo. nam quò longius à cerebro tergum abscedit, tantò longè durius efficitur: itidem & qui ex ipso oriuntur nerui. Nam quemadmodum duplices sensus accepimus: ita & neruorum naturas duplices obtinuimus. unaquæq; enim tergi uertebra neruorum nexum promittit: cuius alter in dextram quidem corporis partem uergit, alter uerò in sinistram. nostrum enim totum propemodum corpus in duas parteis dextrā, & sinistram diuisum est: ita pedes, ita manus, & aliorum unumquodq;, sicut & singulorum sensuum sedes.

DE RESPIRATIONE. CAP. XXVII.


ESPIRATIO quocꝫ ſub animam cadentium operum eſt. Enimuerò muſculi thoraca diducentes potentiſsimum ſunt reſpirandi inſtrumentum. nam ſæpius iterata & perinde frequens ac ſuſpirioſa reſpiratio in magnis ſuſcitata ægrimonijs animæ palàm facit actionem: ſed & intra nos reſpirandi neceſsitatem mutatione interſcindimus. Nam quum ſpirandi pars aliqua, uel adhærens illis quicquam nobis dolet, ſicut diaphragma, aut iecur, aut lien, aut aluus, & tenuia uiſcera, & colus, parùm ac frequenter reſpiramus: parùm quidem, ne dolentem particulam uehementius ſauciemus: frequenter autem, quò in magnitudine relictum ſuppleat iteratio. Etenim quum nobis dolet crus, ſenſim ipſum protendimus ambulantes, ob eandem ſanè cauſam, ob quam & reſpirationem. Quemadmodum igitur animæ progredi, ita & reſpirare. at quieſcentes, & non progredientes diu uiuere poſsumus. reſpirationem uerò ne decimam quidem horæ partem cohiberi poſsibile eſt. ſuffocatus ſiquidem æſtu in nobis calor extingitur, ac præproperam mortem adducit: perinde ac ſi flammam aliquo in uaſe nuſpiam euaporãte quiſpiam obtegat, ipſam certè fumo undique ſuffocatam extinguet. Ob hanc igitur neceſsitatem & dormientibus nobis anima hanc partem ne minus quidem exercet, illud callens, quòd ſi uel breuiſsimo tempore obtorpuerit animal, corrũpetur. Hinc

porrò

porrò naturali animale coniunctum est. In naturale enim instrumentum per arteriam respirandi excitat actionem: idq; semper mouetur, ut eius opus nunquàm remittatur, ut ne quidem aliarum arteriarũ: quod nescientes aliqui, respirationẽ naturalem esse censuerunt. Verumenimuero tres sunt respirandi causæ, usus, potentia, instrumenta. usus quidem duplex, custodia intus genitæ caliditatis, & spiritus animalis delectatio. Cæterùm, caliditatis per naturam custodia ad sufflationem, ac efflationem comparata est: quò sufflatio quidem frigefaciat, atq; mediocriter calorem confoueat: efflatio autem, fumum & caliginem cordis effundat. At animalis spiritus alimentum à sola est respiratione. aëris enim pars quędam per cordis diductiones ad ipsum cor attrahitur animali potentia, quæ sanè musculis respirandi mouet instrumenta, ac primùm thoraca, cuius motu pulmo pariter commouetur, & cum pulmone asperæ arteriæ; quippe quæ ipsius sunt partes. asperæ siquidem arteriæ chondrodes uocis est instrumentum; hymenodes autem ipsius uincula sunt respirationis. ex utroq; autem horum constat arteria, necnon uocatile, pariterq; respiratile instrumentũ. Est igitur pulmo complicatio ex quatuor constans, ex aspera & leui arteria, & uena, & ex spumosa ipsius pulmonis pulpa: quæ sanè pulpa conductionis intercomplicationis loca binarum arteriarum, & uenæ moderationem supplet, utpote quæ ipsa se-

des & uinculum est. Concoquit autem naturaliter pulmonis pulpa spiritum, sicut ex aluo humorem iecur. & ob hoc quemadmodum iecur ab extremis uentrem profligationibus, atque perditionibus continet, atque defendit caliditatis indigentem: ita & pulmo cor medium circumplexus respirationis circunfrigeratione indigens fouet. Asperæ porrò arteriæ, qui ex tribus chondris constat, gurgulio annectitur, atque continuatur: gurgulioni uerò, guttur: deinde os, & nasus: per utrunque enim extrinsecus aërem attrahimus. Ab altero autem alterum separauit, per os spongiosum & ad decollandũ aptum, quod perforatum est: quò in excessibus, qui ab aëris qualitate nasci possunt, cerebrum minimè lædatur, spiritu in id ipsum aggregatim incidente. Hic etiam nasum ad respirandum, & odorandum in usum pariter creator tribuit, sicut linguam ad uocem, & ad gustum, & ad mandendum dedit. Has igitur opportunissimas particulas esse uoluit, & in uitæ necessarios usus animæ distribuit potentijs. Quòd si ex iam memoratis quicquã prætermissum est, perspicuum erit, quòd quemadmodum cuncta quæ producta sunt, quædã propter se genita sunt, quædam tam propter alia quàm propter se, quædam propter alia tantùm: sed quædam per accidens subiecta assistunt: ita & in animalis particulis, eandem inuenias consequentiam. Quæ enim iam dicta trina principalia membra animal administrãtia

propter

propter se facta sunt. In primis nanque, & prima de causa sunt comparata, quæ propriè à natura dicuntur, & in matrice ex semine ipso geniture suæ sumunt exordium. Vt uerò sunt ossa, & flaua bilis & propter se, & propter aliud: nam ad concoctionem prodest, & egestionem mouet. & ob hoc una quædam ex nutritiuis quodammodo particulis est. Prætereà & corpori caliditatem aliquam immittit, sicut uitalis potentia. His igitur de causis propter se genita esse ducitur. in sanguinis autem purgatione ob aliud aliquo pacto uidetur procreata. Lien quoque non parùm ad concoctionem confert: nam quum acidus & natura acerbus sit, egestionem circa tenontem humoris nigri in uentrem profundēs stipat ipsam, ac figit, & ad concoctiones excitat, & interim purgat etiam iecur: quocirca & ipse uidetur propter sanguinem ferme procreatus. Renes quoque sanguinis purgamina, & ad coitum causa sunt appetitus. nam uenæ, quas in geminos dilabi dicimus, per renes transmeant, & illinc acorem quendam exhauriunt appetitum irritantem: eo inquam modo, quo sub cute genitus acor pruritum facit: & quò geminorum pulpa cute est mollior, eò magis ijdem ab acore lancinati furiosam ad egerendum semen irritant cupidinem. Hæc igitur & id genus alia ferè propter se, & propter alia genita sunt. adenes autem & pulpa propter alia solùm: adenes siquidem uehiculum & firmamētum uasorum sunt,

ne leuia in sublime eleuata uiolentis illata motibus illidantur, atque infringantur. Pulpa porrò aliarum portionum uelamen effecta est: quò per æstum animal refrigeret, ita ut matutinam excutiat humiditatem: per hyemem uerò densarum usum lanarum ipsi præbeat: necnon pellis mollis pulpæ & cæterorum uiscerum uelamen effecta est. Est autem natura suapte pulpa ob complexum, & corporum assuetudinem durata in callum. Ossa uerò totius corporis sunt stabilimētū, & præcipuè spina, quam animalis conuersionem esse aiunt. Vngues autem omnibus communiter, quæ lancinandi usum habeant, & præter hunc peculiarem alium alij usum tribuit natura. nam ad certandum multis concessi sunt animalibus, ut quæ uncis unguibus armata sunt: quippe qui irascibilis partis eduntur instrumenta. multis quoque & ad certandum, & ad se in gressu confirmandum, ut equis & omnibus ungulam habentibus. At hominibus non ad lancinandum modò, acoremq; ex pelle exigēdum: sed etiam ad tenuia quæque excipienda. eis siquidem ualde minuta tollimus, & digitorum apices retrorsum opponendo & scandendo acceptionem obfirmamus. Capilli porrò educti per accidens subsederūt. ex fumosissimis nanque halationibus è corpore erumpentibus per accidens in capitibus defixi constiterunt: quos ne omnino quidem creator produxit inutiles; nam tametsi per accidens facti, tamen

ad uelandum, & animalis abſoluendam uenuſtatem deus eos comparauit: capris quidem & pecoribus uelamen: hominibus uerò, ut cunctis animalibus, ornamentum: ornamentum autem pariter & munimentum, ſicut leoni.

DE VLTRONEO, ET INVITO. CAP. XXVIII.



QVONIAM ultronei, & inuiti ſæpenumero fecimus mētionem, de his quoque diſſerere nobis neceſſe eſt, quò ipſorum diligenti cognitione habita neutiquam aberremus. Sed expedit illi qui de ultroneo, & inuito dicturus ſit, primùm regulas quaſdam, & cognitiones exponere, quibus tam ultroneū, quàm inuitum, unde ortum ſit, intellectum eatur. Quòd igitur omne ultroneum in actione conſiſtat, quodq; inuitum creditum eſt & ipſum, ne minus quidem in actione inueniatur, id mox demōſtrabitur. Quidam autem quod uerè inuitum dicitur, non in patiendo ſolùm, ſed & in agendo poſuerunt. Definiēdum igitur ante omnia, quid ſit actio. Eſt ſanè actio rationalis operatio. Atqui actionem laus, aut uituperatio conſequitur. Et harum aliæ quidem cum uoluptate, aliæ uerò cum ægrimonia peraguntur: & aliæ quidem delectæ & optatæ ſunt, aliæ autem tempus poſtulant. Itidem de fugiendis eſt rebus accipiendum. Et rurſus, actionum aliæ quidem mi-

ſerationem

ſerationem excitant, aliæ uerò inuidiam faciunt, & odium exuſcitant, & perinde torquentur. Fuerint igitur uoluntarium callentes, qui putauerint ipſum laudem, aut uituperationem comitari: idq́ cum uoluptate agi, necnon cum optione actiones eſſe eas tractantibus, aut ſemper donec peraguntur. qui autem inuitum callent, uenia, aut commiſeratione dignum putãt: agiq́ cum ægrimonia, nec cum optione actiones eſſe. His ita definitis de inuito nunc primùm diſſeramus.

DE INVITO.
CAP. XXIX.


NVITVM aliud à ui, aliud ab inſcitia proficiſcitur. Eorum igitur quæ à ui oriuntur inuitorum, faciendi principium uenit extrinſecus: aliud enim eſt quod uim ferat quàm nos. Eſt igitur definitio eius, quod per uim, inuiti, cuius extrinſecus eſt principiũ, nullum à ſua commotione momentũ afferente coacto. Hoc autem initium faciendi cauſa dicitur. Quæritur ſanè, ſint'ne inuita hæc, ut onerum iacturæ, quas hyeme incumbente faciũt nautę: aut quum quis rem ſubit, & ſuffert turpem, patiendo, aut agẽdo ob ſalutem amicorum, aut patriæ. uidentur autem potius ultronei: ob hoc enim definitioni ſubiungitur, Nullum à ſua commotione momentum afferente coacto. In huiuſmodi enim ultronei ipſi

per sese partes mouent sumministrantes, atque ita iacturã in mari faciunt. itidemque turpe, aut graue aliquid propter maius honestum sufferũt, sicut Zeno qui suam ipse linguã mandens in os Dionysij tyranni expuit: quòd secreta ei nequaquã uellet exponere. Similiter & Anaxarchus philosophus in rotæ modum à tyranno Nicocreonte maluit incuruari, quàm cõscios prodere. Generaliter igitur quum ob maiorum malorũ metum, minus malum, quod aliter non possit euitari, subiuerit quisquã, is non inuitus sustinet, aut inuitus negotiũ peragit: id enim cũ assensione & optione facit: & tum sunt optata, quòd ab eo tractentur, licet optata non sint. Sunt itaque ex inuito ultroneoque permixta. inuito quidem, natura suapte: ultroneo autem, tunc ob circũstantias: quas si quis auferat, ea agere optauerit nemo. Quódque ultroneæ sint actiones, ex eis laus, & uituperatio excitatæ declarãt. Inuitas siquidem actiones nulla laus, aut uituperatio consequitur. Nec tamen facile scitu quale pro quali optandum sit. Expedit enim quàm sæpissime præ turpibus aspera optare, sicut Susanna, & Ioseph effecerunt non usque lamentabũdi. Origenes igitur, ne in turpitudinẽ laberetur, dum apud Aethiopas immolat, à toto excidit. Ita non est facile talia dispicere, quin & magis arduum est in opinionibus persistere. non enim quæ horrenda existimẽtur, & quæ subeũda proponãtur, pariter, similiterque sustinemus: sed aliquãdo, quum iudicauerimus, pe-

riculis circunuenti exhorrescimus, planeq́ attoniti efficimur: sicut quibusdã accidit, dum martyres torquẽtur, qui à principio fortes obstiterunt: postremò autẽ declinantes cessêre cruciatibus, in ipsa tormentorum experiẽtia imbecilliores, mollioresq́ effecti. Nec quisquã putet intemperãtiæ cupiditatẽ, aut irã inter inuitas esse fluctuationes collocandas: quòd & hæc extrinsecus faciendi habeãt principiũ: forma siquidẽ scorti ad incontinentiã spectantẽ furiauit, & exacuens ad furorem cõmouit. tametsi enim extrinsecus principium delinquẽdi habent, ipsi tamen per sese & instrumẽtalibus, ut sic loquar, partibus perficiunt: nec quæ est inuiti definitioni subijciũtur: quãdocũq; & principij causam ipsi sibi præbuerũt propter assuetudinẽ malã, affectibus substrati, & facilè mancipati. Iure itaq; uituperari debent talia peragẽtes: quippe quòd uitium patiãtur spontaneũ. Quòd autem ultroneũ sit, ex eo planè manifestũ est, quòd inter agendũ capiunt uoluptatẽ. atqui inuitum molestiã afferre demonstratũ est. Sed de inuito per uim hactenus dictum. Reliquum est, ut de illo, quod per ignorantiam consistit, differamus.

DE INVITO PER IGNORANTIAM. CAP. XXX.


ER ignorantiam multa profectò peragimus, quibus peractis lætamur: ueluti quum quis inimicum inuitus, alium ratus occiderit: alium'ue occiderit, inimicum

cum arbitratus: in ipsa nimirùm cæde lætatur. hæc & id genus alia sunt, quæ non ultronea uocant. Et rursus agimus per ignorantiam aliqua, quæ quum peregerimus, continuò tristamur, ac dolemus. hæc inuita nominarunt, quibus perfectis consequitur ægrimonia. Eorum igitur quæ per ignorantiam fiunt, duæ sunt species: una quidem non ultronea, altera uerò inuita. Verumenimuero nunc de solo inuito nobis dicere in animo est: quandoquidem non uoluntariũ ultroneis potius subijcitur, quum sit alteri alterum permixtum. Principium enim inuitum obtinet, finem uerò ultroneum: ex discessu nanqꝫ ultronei nascitur inuitum. Quocirca ita etiã inuitum definiunt: Inuitum est quod, quoniam uoluntarium non est, ægrimoniam affert: & porrò quod in pœnitentia collocatum est. nempe aliud est per ignorantiam aliquid facere, aliud ignauum esse. nam si in nobis ignorantiæ causa sit, ignorãtes quidem facimus, non tamen etiam per ignorantiam. ebrius enim, & iratus si mali aliquid perpetrarit, huic quidem ebrietas, illi autem ira, cur deliquerit, fuit in causa. atqui ea fuerunt ultronea; licebat enim non ebriari, non irasci. Hæc igitur non per ignorãtiam facere dicitur, sed ignarus perpetrare: quippe quæ inuiti haud sunt, sed ultronei. Quamobrem à studiosis etiam incessuntur uiris talia factitãtes. nam nisi fuisset ebrius, neutiquam deliquisset. atqui ultro fuit ebrius, ultro igitur commisit flagitiũ. Per igno-

rantiam autem hæc agimus, quum ipsi ignorantiæ causam non præbemus, sed ita acciderit, ut qui in loco consueto sagittans prætereuntem forte fortuna patrem sauciauerit, atq; occiderit. Ex iam dictis comprobatur, quòd non qui utilium, & commodorum ignarus est, nec qui perniciosa utilia esse arbitratur, inuiti affectum fert: quandoquidem ipsius malitiæ, atq; uersutiæ ignorantia est: & hic scilicet uituperatur. atqui ultroneorum uituperatio est. nõ ergo in uniuersum, & generaliũ, aut eorũ, quæ per assensionẽ inuita, ignorãtia est: sed in parte. inuiti enim, in singularibus: in uniuersum autem, ultro ignoramus. His ita definitis deinceps dicẽdũ uidetur, qualia sunt singularia. Hæc nimirùm singularia sunt, quæ à rhetoribus circũstãtiæ nominãtur: quis, quę, quid, ubi, quãdo, quo pacto, propter quid, ut persona, res, instrumentũ, locus, tempus, modus, causa. Persona quidem faciens, uel circa quæ actio: ueluti si patrem filius ignarus uerberarit. Res autem, illud ipsum quod perpetratum sit: ut si alapam uolens incutere excæcarit. Instrumentũ uerò, ut si lapidem iaculetur, pumicem esse arbitratus. Locus autem, ut si in demoliẽdo angiportum, obuium ignarus percusserit. Tempus porrò, ut si noctu hostem, putans amicum, occiderit. Modus uerò, si leniter, ac minimè impetuosè percutiens interfecit: ignarus enim fuit, quòd, dum leniter percutiat, sit interfecturus. Causa autem, ut si quis medicamen tanquam sanaturus

turus dedit: at id accipiens eo conciderit, & medicamen postea letale compertum sit. Verùm hæc unà omnia ne infamis quidẽ quisquã ignorauerit. Qui autem horum plurima, aut eminentiora ignorauerit, is per ignorantiã fecisse dicendus erit. Inter hæc illa planè sunt eminẽtissima, quorum causa aliquid peractum est, hoc est, causa & res.

DE VLTRONEO. CAP. XXXI.



VVM sit inuitum duplex, & quod per ignorantiam, & quod per uim, utrisque uidelicet opponitur ultroneum: est siquidem quod nec ui, nec ignorantia factum est. Neque illud ui fieri dici oportet, cuius initium in agente est: nec pariter ignorantia, nisi quid per singularia fuerit ignoratum, per quæ, & in quibus actio est. Concludentes igitur uoluntarium utrunque definimus, cuius in ipso sciente per singularia in quibus actio, principium est, illud quæri solet. Quæ à natura sunt, ultronea'ne sint, an non: uelut concoctio & augumentum, quæ certè in nobis non sunt. inde fit, ut licet singularia ignoremus, quãdoquidem in nobis ea non sunt: ultronea tamen aut inuita non sint: quæ autem per iram aut cupiditatem, ultronea esse demonstratum est: nam & emendata probantur, & aberrantia improbantur, aut odio habentur, illaq; uoluptas & ægrimonia comi-

tatur, & in ipsis agendi principiũ est: in ipsis siquidem fuerit non facilè ab affectibus capi. nam cõsuetudine huiusmodi corrigi solent: alioqui si hęc inuita, nullũ irrationale animal ultro quicquã peragit, & ne quidem pueri. atqui non ita habet: ipsos enim ultro ad cibatũ sese recipere intuemur, & non equidem ui ulla. sponte siquidem & per sese commouentur, neq; ignorantes: haud enim cibarium nesciunt. Nam cibum spectãtes exultant, ipsumq; utpote rem cognitam impetunt accepturi: frustrati autem, mœrent, ultronei uidelicet cognitores: rem enim assecuti, exultant: frustrati uerò, anguntur. Ex quibus certum est ultroneam cupidinem & iram habere: nempe cum uoluptate ira gignitur. Alioqui enim si quis per iram & cupidinem spontanea negauerit, is morales extinguit uirtutes, quæ in medijs profectò sunt affectibus collocatæ. Quòd si inuiti sunt affectus, inuitæ quoque sunt de uirtute actiones: nam & ipsæ quoque ab affectu proficiscuntur. atqui nemo quod ratiocinatione, quod assensione ac proposito, quod suo agentis impulsu, quod desiderio singula dispiciendo, atque adeò cognoscendo effectum fuerit, inuitum dicit: initium enim in ipsis esse demonstratum est. ergo ultroneum est. Sed quoniam de assensione plerunque fecimus mentionem, de eo quod in nobis est, & de assensione differendum.

DE ASSENSIONE. CAP. XXXII.



VID igitur assensio, siue propositum est? nunquid ultroneum? quandoquidem ultroneum omne per assensionem: sed non conuertitur. quod certè fuerit, si idem cum assensione sit. atqui plus in ultroneo inuenimus: omnis siquidem assensio ultro est, sed non omne ultroneum assensio est. nam pueri & rationis expertia ultro quidem faciunt, non tamen etiã cum assensione, & quæcunque, iræ furore incitati, agimus, non consultò, ea ultro quidem facimus, sed non tamen cum assensione. Cæterùm, quum amicus repentè nobis est præstò, ultro quidem exhilaramur, non tamen cum proposito. thesaurum quoque inexpectatum comperiens, in ultroneum quidem incidit lucrum, sed non ab assensione. Ex his igitur omnibus concluditur, non idem ultroneum esse, quod assensio, siue id propositum libeat appellare. Nunquid igitur appetitus est assensio? At ne hoc quidem. diuiditur enim appetitus in tria, in cupidinem, excandescentiam, & uolũtatem: sed quòd neque ira, neque cupido sit assensio, uel ex eo planè manifestum est, quòd per assensionem nulla in parte hominibus conuenit cum rationis expertibus: per cupidinem autem & iram conuenit. Quòd si per hæc quidem nobis cum illis conuenit, per assensionem uerò differimus: non dubium quin aliud

utique aſſenſio ſit, aliud ira & cupiditas. Indicat hoc etiam auditor, qui à cupiditate ſuperatus, & in hac peragens aliquid incitatus, non cum aſſenſione id facit: præuenit enim, atque infringit aſſenſio cupidinem: quòd ſi idem forent, non fuiſſent oppoſita, ſe'ue oppugnaſſent. Continens quoque, quum ab aſſenſione agat, neutiquam à cupiditate agit. Quòd porrò ne uoluntas quidem ſit aſſenſio, hinc certum eſt, quòd non quibus aſſentiri conuenit, eiſdem cõuenit & uelle. dicimus enim uelle ſanos eſſe: nemo autem dicit aſſentiri, aut proponere. item uelle ditiſcere, ſed non nobis proponere dicimus diteſcere. Præterea, uelle etiam impoſsibilia poſſumus: aſſentiri uerò his tantùm dicimur, quæ in nobis ſunt. ita uidelicet loquimur: Velim immortalis euadere: at, propono immortalis euadere, non dicimus: ſiquidem uoluntas finis eſt: propoſitum autem, eorum quæ ad finem: eadem propemodum proportione, quam habet uoluntarium ad cõſultum. quod enim uolumus finis eſt: quæ uerò conſultamus, ad finem. Præterea, illis ſolis aſſentimur, quæ à nobis perfici poſſe arbitramur. at conſultamus etiam illa, quæ à nobis minimè confici poſſunt: ut ducem aliquem ſuperare, quem non poſsimus. Quòd igitur neque ira, neque cupido, neque uoluntas ſit aſſenſio, ſatis demonſtratum eſt: quòd autem ne quidem opinio, & illis, & alijs demonſtrationibus comprobatur. opinio ſiquidem non eorum modò eſt, quæ in no-

bis

bis sunt, sed etiam æternorum. Rursus, opinionem quidem ueram dicimus, & falsam: assensionem uerò non dicimus. &, opinio quidem uniuersalium, assensio autem singularium est: siquidem circa obeunda negotia uersatur assensio, ea uerò singularia sunt. Cæterùm, ne consultatio quidem assensio est, uelut consilium: consultatio enim de ipsis obeundis negotijs quæstio est: assensum autem est ex consilio propositum atq; præiudicatum. Non dubium igitur, quin consultatio in his sit, quæ adhuc in quæstione posita sint: assensio autem in his, quæ proposita, atq; præiudicata. Quid itaque non sit assensio, hactenus dictum: nunc, quidnam sit, differamus. Est planè assensio, ex consilio & iudicio, & appetitu quiddam mixtum: per sese autem neq; appetitus, neq; solum consilium, sed quoddam ex his conflatum. nam sicut animal ex anima & corpore constare dicimus, nec separatim corpus, aut animam animal esse, sed quod ex utroq; conficitur: ita & assensionem. Quòd autem consilium quoddã sit, & consultatio, accedente etiam iudicio, tametsi ipsa neque consilium, neq; consultatio, neq; iudicium sit, id uel ex etymologia manifestum est. assensio enim est alterum præ altero sensu interiore, hoc est, consilio & iudicio optando, sibi propositũ animo. nemo enim quicquam præiudicat nequaquam consultans, neq; alicui rei assentitur non iudicans. Quum uerò non cuncta quæ nobis ex sententia cessura esse arbitra-

mur, continuò ad opus agere properemus: tum demum assensioni locus est: & assensus ex consilij praeiudicio procreatur, quum occupabitur appetitus. circa quæ igitur consilium, circa ea & assensionem uersari necesse est. Ex his nimirùm concluditur, assensionem appetitum esse cum earum rerum, quæ in nobis sunt, consilio: siue consultationem, cum eorum quæ in nobis sunt appetitu. consilio enim præiudicatum assentiendo expetimus. Quum itaque circa ea assensionem uersari dixerimus, circa quæ & consilium, nunc quibusnam in rebus consilium sit, explicemus, & de quibus pariter consultemus.

QVIBVS DE REBVS CONSVLTEMVS.
CAP. XXXIII.



ANTEAQVAM dicatur, quibus de rebus consultemus, definire præstat, in quonam consilium à quæstione differat: quandoquidem non idem consiliũ quod quæstio est: tametsi qui consultat, aliquid quærat. Cæterùm, longè differunt. Quærimus enim atque percunctamur, maiorne sit sol, quàm terra. nemo autem dicit, consulto, maiorne sol quàm terra sit. est enim quæstio consilij genus: plura siquidem complectitur. omne enim consilium quæstio est: non omnis autem quæstio, consilium. Id uerò demonstratum est: nempe inter consultandum aliquando considerare

ſiderare dicimus: ut, conſidero, nauigare'ne oporteat, an non. aliquando inter intelligendum: ut, conſidero diſciplinas, non utique conſulto diſciplinas. Proinde ſæpe commouemur, quòd aliqua indifferenter nomina efferri audiamus, idem nõ idem eſſe rati. Manifeſta igitur facta inter hæc differentia, reliquum eſt, ut diſſeramus, quibus'nam de rebus conſultemus. Conſultamus igitur his de rebus, quæ in noſtra ſint poteſtate, atque à nobis fieri poſsint, quæq; incertum habeant finem, hoc eſt, quæ ita, & ſecus fieri poſsint. Quid autem in nobis ſit, noſtraq; poteſtate, iam dictum. nimirùm quum de obeundis negotijs solùm cõſultemus: ea nempe in nobis ſunt. non enim de ſpeculatiua, quæ philoſophia nominatur, conſultamus, & perinde neq; de deo, neq; de eis quæ ex neceſsitate manant. ex neceſsitate autem illa inquam, quę ſemper identidem ſunt, uelut anni ambitus: neque de eis quæ ſemper manent, uerùm eodem modo ſemper fiunt, ut occidente & oriente ſole: ſed neq; de his quæ à natura quidem proficiſcuntur, ueruntamen non ſemper identidem habẽt, ſed ut plurimùm ita habet, ueluti de huiuſmodi quod dicitur, ſexagenarium caneſcere, aut uiginti annos natum barbire: ne de ijs quidem, quæ quanquàm natura, aliquando tamen aliter nullo termino definita fiant: ut de imbribus, aut ſiccitatibus, aut grandine: neq; de illis quæ à fortuna erumpere dicuntur, quibus magis minuſq; contingit. Qua-

propter illud in nobis dictum: hoc autem per nos. At quum non de omnibus hominibus, neq; de rebus omnibus consultemus: neq; enim in consilium adhibemus, quemadmodum hostes, aut quicunque à nobis longè sua habent domicilia, suam rectène rempublicam administrent: quanquàm hoc apud illos in consultationem ueniat: & ne quidem de omnibus, quæ à nobis fiant, & quæ in nobis sint, consultamus. Ideo incertum habentia finem, adijcere expedit: quandoquidem, si id exploratum confessumq; sit, non amplius consultamus. neq; de ijs quæ à scientia, aut arte aliqua demanant opere aut actione quapiam consilium ullum est: horum siquidem definitæ sunt rationes, præterquàm paucarum artium, quas cõiectrices appellamus, ut est medicina, & luctatoria, & gubernatoria. nec de his modò consultamus, sed de ijs quæ in nobis, & per nos. at incertum finem habentibus, utpote quæ ita, & aliter peragi possint, demonstratum sanè est, ut neutiquã finis, sed ea quæ sunt ad finem in consilium aduocantur. consultamus siquidem non ditescere, sed quo pacto, aut quibus adminiculis ditescamus. Vt autem paucis absoluam, de ijs solis consultamus, quæ æquè, ambigueq; contingant, & quæ diuisim oporteat coniectare. Ne ad declarationem rationis quicquam prætermittatur, potentiæ sanè dicuntur, quibus aliquid facere possimus: rei enim quam possumus, habemus potentiam: quorum autem po-

testatem

testatem non habemus, eorum ne quidem actiones. Actio itaque in potentia habetur, potentia uerò in essentia. actio siquidem à potentia, & potentia ab essentia & in essentia est. Tria igitur hæc sunt sese inuicem continentia, potens, potestas, possibile: potens quidem, substantia; potestas uerò, unde profluit, quod possumus: possibile porrò, quod ut sit, in potentia est. Possibilium autem quædam sunt necessaria, quædam uerò contingentia: necessaria quidem quæ inhiberi impossibile sit, uel quorum & oppositum impossibile: contingens autem est quod potest inhiberi, uel cuius oppositum possibile est: ut necessarium est uiuentem hominem respirare: & eius oppositum, impossibile est uiuentem non respirare. Contingens autem, ut hodie imbrem fore. cuius oppositum æquè possibile. Rursus, contingentis quædam sunt ut plurimùm, quædam ut in paucis, quædam ęquè & indifferenter: ut in multis quidem, sicut sexagenarium canescere: in paucis autem, ut sexagenarium non canescere: æque autem, ut deambulare, & nõ deambulare, & omnino quiduis efficere, uel non efficere. De his itaque æquè & indifferenter contingentibus solùm consultamus. Est autem æquè contingens, quod ipsum possumus, & ei oppositum: nam nisi utrunque potuerimus, ipsumq; & oppositum, non id in consilium aduocabimus. non enim de iam receptis, exploratisq;, neque de impossibilibus quisquam con-

ſultat. Quòd ſi alterum duntaxat oppoſitorum potuerimus, id iam receptum erat, & nequaquam ambiguum. at eius oppoſitum impoſsibile.

DE FATO. CAP. XXXIIII.



STRORVM circuitui omniũ quæcunque fiant cauſam aſcribentes, non cõmunes modò notiones expugnant, ſed omnem quoque Rempublicam inutilem eſſe definiunt: uanæ enim leges, ſuperflua iudicia, quæ puniunt inſontes, inanes & caſſæ uituperationes, & laudes, ſtultæ etiam preces, cunctis rebus fati neceſsitati ſubiacentibus. exterminatur cum pietate prouidentia: quo ſanè inſtrumento homini ſuperiores ſedes & perinde cœleſtes inuenire datum eſt. hinc enim ad actiones quę ſub animę ſenſum atque cognitionem cadunt, nedum ſub corporis partes, commouentur: ac omnino hæc dicentes contingentis naturam, quæ in nobis eſt, ſubuertunt: atque hoc pacto nil propè aliud agunt, quàm quòd cuncta deuaſtant. Iniuſtæ quoque ipſæ ſunt ſtellæ, quæ adulteros, quæq; homicidas efficiant. & in primis ipſe rerum creator deus omnem ab ipſis cauſam aufert, ſi hæc ita comparauit, ut malorum nobis afferant neceſsitatem: ut talium aliena ſententia non in Rempublicam modò pernicioſa illatura ſit, ſed etiam malorum ingentium deum cauſam eſſe definiat. ob hoc horum propoſitum demonſtrare

impoſsi

impoſsibile eſt. Sed hæc ne quidem audire neceſſe eſt, deteſtationem, atque abominationem habentia manifeſtam: quippe qui aiunt & in nobis eſſe hoc, & hoc fato conſeruari. unicuique enim genitæ rei aliquid fato datum eſſe, ut aquæ frigere, & cuiuis plantæ talem fructum ferre, & lapidi deorſum ferri, & igni ſurſum ſcandere: ita animali reſidere, & impetere. quòd ſi huic impetui extrinſecus nihil obſtiterit, idq; fato, tum deambulare, progrediq; perfectè in nobis eſſe, ac prorſus progrediemur. Qui autem hæc dixere, fuerunt Stoici, & Chryſippus, & Philopator, & alij complures ac inſignes uiri, qui aliud nõ demonſtrant, quàm omnia fato fieri. Nam ſi commotiones à fato uolunt impediri, aliquando autem minimè, nõ dubium quin omnia fato futura uelint, etiam ea quæ in nobis eſſe putantur. At nos eiſdem porrò contra ipſos utemur rationibus, eorum opinionem alienam demonſtraturi. Nam ſi eiſdem circunſtantibus cauſis, uelut ipſi putant, cuncta eodem modo fiunt, ut aliquando quidem ita, aliquando autem ſecus fieri impoſsibile ſit, quando ex æternitate hæc ita ſancita ſunt: animalis quoque commotionem omnino, ac rebus in omnibus eiſdem circunſtantibus cauſis ita fore neceſſe eſt. quòd ſi ex neceſsitate ſequitur commotio, ubi reliquum quod in nobis eſſe oportet? liberum ſiquidem eſſe conuenit, quicquid in noſtra manu poſitum ſit. atqui minimè liberum erat, ſi eiſdem

circunſtantijs in nobis erat aliquãdo impelli, & ali-
quando non impelli. quòd ſi à neceſsitate impelli
conſequitur, non dubium, quin etiam quæcunque
per impulſum fiunt, ea fato fiant, tametſi à nobis
fiant, naturaq; noſtra, & impulſu, & iudicio. Quòd
ſi etiam non fieri poſsibile ſit, falſa fuit illa propoſi-
tio, quæ aiebat, eiſdem circunſtantibus cauſis ea-
dem neceſſariò ſequi. quod & in rationis experti-
bus etiam ualebit: necnon & in rebus inanimatis in-
uenietur. nam ſi impulſum nobis aſtruũt, ut ipſum
natura teneamus, quidnam prohibebit, ut dicamus
in igni eſſe urere? quandoquidem & ignis natura
urit: ueluti Philopator aliquatenus oſtendiſſe ui-
ſus eſt, in eo quem de Fato inſcripſit. nõ ergo quod
per nos factum fato ſubijcitur, id in nobis eſt. hac
enim ratione & in fidibus, & tibijs, alijsq; inſtrumẽ-
tis, necnon rationis expertibus, ac inanimatis, quic-
quam erit, quum per ipſa quicquam peregerint. at
id alienum eſt.

DE FATO QVOD IN ASTRIS EST. CAP. XXXV.



ADVERSVS Aegyptiorum ſapien-
tes, qui uerè quidem dici aiunt ab aſtris
fatum imminere, ſed ipſum commutari
precibus, ab iraq; & indignatione auer-
ti: eſſe enim aliquas horum ipſorum culturas ac ob-
ſeruationes aſtrorum ipſa mitigantes, ac planè pa-

cantes, & excellentes alias quaſdam eſſe potentias, quæ ipſa uertere ac perſuadere poſsint, & ob hoc aduerſum deos preces, atq; culturas ad iras auertendas cognoſcere: explicabimus, ut fatum contingentium rerum ac minimè neceſſariarum faciunt. atqui contingens indefinitum ac incognitum eſt. omnis igitur ob hoc extinguitur diuinatio, præſertim quæ de genituræ ratione nominatur: quam ipſi præ alijs utpote ſtabile quiddam, & ueriſsimum profitentur. Quòd ſi dicant figurarum abſolutiones eſſe manifeſtas, easq; ab eruditis intelligi: cùm figura non ſecundum uim ſuam euenerit, nunquid deum eam inhibuiſſe dicemus? Sed quum alienum ſit hoc dicere, primùm quòd ſolas preces, deorumq; obſeruationem, atq; culturam in nobis collocarunt, nec quicquam aliud: deinde quòd nos uehementer ambigere compellunt, quidnam ad cæteras omnes & humanas actiones, & aſſenſiones, aut quantum uelint proficere, & quo in loco imminentium aſtrorum poſuerint, ſi ſolæ ſint in nobis preces: dubium nempe hoc ita uideri debet, quam ob cauſam, ac cuiuſmodi hæc ſit neceſsitas: exinde ſi ars ulla eſt, aut doctrina, quæ ab ira numina auertat, atque auocet, quæq; fato immineant, ſit prohibitura. Primò aut hæc ipſa doctrina à cunctis percipi poteſt hominibus: aut à quibuſdam quidem poteſt, à quibuſdam autem non poteſt. Quòd ſi ab omnibus, nihil prohibet à cunctis, quibuſcunq; eam artem perdiſcentibus,

bus, quæ ad fines rerum fata peruenire non sinat: ratione duce, fati necessitatem prorsus subuerti, atque arceri. Sin autem ab aliquibus quidem percipi potest, ab aliquibus uerò minimè: qualisnam, & quis est hic definitor? nam si fatum alios quidem dei obseruantes, & cultores facit, alios uerò non facit: omnia rursus in fatum recident, atque necessitate fieri inuenientur. quòd enim ad preces, deique obseruationem attinet, non solùm in nobis minus fatum esse demonstrat, sed etiam maius. quòd si horũ non fatum, sed aliud aliquid est in causa, nimirũ id etiam fatum magis esse indicabitur. quatenus enim precibus corrigi potest, aut non potest, eatenus fati omnẽ complectitur potestatem: ad eos enim, qui possint, momenti nullius est fatum: eorum uerò, qui non possint, cuncta fato subijciuntur: atque ita quibusdã omnia fato agi inuenietur hominibus: quibusdam uerò nihil fato obnoxium esse. Nec dubium quin hoc definiens ipse eminentissimum sit fatum: atque ita porrò cuncta fato subiacere inuenientur: & insuper iniquum esse distributorem contingit, siue dæmon hic aliquis sit, siue aliquid aliud fatum. siquidem non iuxta singulorum dignitatem, deorum cul turæ hominibus doctrinam distribuit. Cur enim hic illo dignior est? cùm æquè omnia fati suppetãt instrumenta, & nemo ex suo quicquam agat proposito, neque ex meliore optionis assensione. In his autem, quæ hoc pacto fiant, nemo iustus, aut iniustus,

& ne

& ne quidem dignus, aut indignus gratia: at qui æqualibus inęqualia diſtribuit, iniuſtus, & iniquus.

DE IIS QVI DICVNT actionum aſſenſionem in nobis eſſe. CAP. XXXVI.



VI aſſenſionem quidem actionum in nobis: eorum uerò, quibus cum optione aſſentiamur, euentum in fato, Græcorum planè ſapientiſsimi cenſuere. Aliud quidem inemendatè proferunt, in alio autem hallucinantur. In nobis enim eſt agibilium aſſenſiones apponere: euentus autem nòn omnino, rectiſsimè aiunt. at quòd eas fatum amplecti uolunt, neceſsitatiq́ꝫ eſſe ſubiectas, nequaquam rectè. Carpi enim poſſunt, primùm quòd imperfectum quiddam fatum eſſe conſtituant: ſi, ut ipſi aiunt, hoc quidem habet, illud uerò non habet: deinde quòd fatum noſtram conſequi uolunt ſententiam. fati nanq́ꝫ opera ipſam aiunt comitari: atq́ꝫ ita potius ipſum à nobis moueri, quàm quòd nos moueat. Comperietur & fato excellentior homo: quippe qui ſua ipſum inſtituit, & fingit aſſenſione. rerum igitur quæ eueniant cauſam prouidentiam dicere expedit. prouidentiæ ſiquidem ſuum eſt hoc potius, quàm fati. prouidentiæ enim proprium, unicuiq́ꝫ diſtribuere, ut cuilibet conducere uidebitur: & ob hoc eorũ, quibus aſſenſum ſit, euentus, prout

conuenerit, planeq; conduxerit, aliquando fuerit, aliquando autem minimè. Quòd si fatum series quædam causarum est ineuitabilis: ita enim ipsum definiunt Stoici: hoc est, ordinem, & cathenam insuperabilem, ac ineuitabilem, non utilitatis & commodi habita ratione, sed metu proprio atq; necessitate rerum aduehit fines. at quidnam dixerint de omnino stolidis, & fatuis, & perinde sine assensione, utrum fato tales esse contigit, an non? nam si non fato, extrinsecus delabuntur in fatum: sin autem fato, ne assensionem quidem in nobis esse sequatur necesse est. nam si quod sine assensu est, sub fatum cadit: assensum quoque fato obnoxium esse necesse est. atque ita in primos recurrent, qui fato cuncta subijciebant. Superflua autem contentio ratiocinationis, & cupidinis, & continentiæ, & incontinentiæ. nam si ex necessitate definitum est, hunc admittere quicquam, illum uerò non admittere, quidnam in ipso manendi, aut insurgendi, atque rixandi usus fuerit? Cæterùm, in hoc oberratur non modò peragendo, uerùm etiam hoc modo peragēdo. Quid autem hoc inquiens, aliud dicit, quàm quòd & assensio fato obnoxia est? Pugnat enim cum cupidine assensio, apud continentes quidem superans, apud incontinentes uerò superata. Nunquid igitur quæ à principio ab ipsis proposita sunt, extinguuntur, assensionem in nobis non esse?

QVOM

QVOMODO PLATO FATVM DICAT.
CAP. XXXVII.


LATO duobus modis fatum nominat: uno quidem modo essentia: altero actione. essentia quidem, uniuersi animam: actione autem, diuinam legem ineuitabilem ob immutabilem causam. Vocat autem alterum ineuitabilitatis decretum: hanc uerò legem à primo ac supremo deo datam uniuersitatis animæ ad omnium rerum exornationem: qua lege digerat, & componat quæcunque producta sunt. Hinc autem in actione fatum, atque in prouidentia positum dicit, à prouidētiaq; fatum implexum esse, & fato omnia fieri, pariterq; actione atque effectu: non tamen omne quod prouidentia factum, id etiã fato esse. Ipsa uerò diuina lex, quam ait esse prouidentiam, simul & fatum, intra se cuncta complectitur, alia quidem ad propositum, alia uerò ex proposito. præeuntes igitur, & præuias causas tanquã principia quædam ad propositum præbet earum sanè, quæ in nobis sunt inclinationum, iudicationum, & impulsuum: quæ autem ex necessitate ita consequuntur, ex proposito sunt, & ad peragēdum hæc in nobis est assentio ad propositum: subiectis autem his, quæ in manu nostra, ex his ipsis tanquã ex proposito consequi quæ in fato sunt. uerbi causa: in nobis est nauigare, id ad propositum est: dato

igitur ut nauigemus, ex hoc nos facere naufragium consequitur. Ideo ex proposito illa uocat, quæ proposita nostra ac in nostra manu posita comitantur, atque consequuntur: hoc est, quæ de principijs, atque actionibus manant. atque ita alia quidem ait præuia, atque in nobis ad propositum: alia uerò aduecta & subsequentia ex proposito: & ea non in nobis esse, sed necessariò consequi: neque ex æternitate fatum esse finitum, sed euenire præcedentibus eis, quæ in manu nostra sunt. Cum hoc illud etiã quadrat, atque conuenit: sauciati causa est: uacat causa deus: necnon illud, dominam uirtutem esse, & esse diuinationes: huic omnis quoque ratio astipulatur, quòd assensiones, quòd actiones, quæ ab assensione demanant, atque deriuantur, in nostra sint potestate: quæ uerò hæc comitentur, & fines ipsos in fato esse atque necessitate collocata. Verumenimuero hoc ex ijs, quæ suprà exposita sunt, demonstratum est nequaquam rectè habere. Quatenus igitur ordinem, ac uoluntatem dei fatum uocat, & quatenus prouidentiæ obnoxium fatum uideri uult, parum admodum à diuinis dissentit rationibus: quæ inquiunt solam cuncta administrare prouidẽtiam. Longè uerò disconuenit, ac dissentit, cùm fines rerum ait nos necessariò consequi. Nos siquidem quę à prouidentia immineant, non necessariò, sed contingẽter sequi dicimus. quòd si necessariò, primùm quidem deprecationum pars multò maxima conci-

detur

detur,ac peribit. ſolis enim actionum principijs, ut hic uult, preces profuerint. Proinde meliora quidem deligenda ac præoccupanda: at cùm præoccuparis, incaſſum reliqua, quæ precibus aſſequi poſſe confidimus, cùm ſint conſequentia omnino in neceſsitate poſita. Nos etiam ad hęc preces plurimùm poſſe definimus: in prouidentia nimirum eſſe nauigantem naufragum fore: neutrum tamen horum in neceſsitate poſitum, ſed in ambiguo. non enim in ulla eſt neceſsitate deus: ſeruire ſiquidem neceſsitati eius uoluntatem, dicere nefas eſt: quandoquidem ipſe neceſsitatis eſt creator: neceſsitatem enim aſtris dedit, ut ſemper eodem modo moueantur: & mari terminos circundedit, & uniuerſitati, & rerum generibus neceſſarium terminum poſuit: uocent ſanè hoc, ſi uelint, fatum, quòd omnino & omnifariam ita neceſſariò fiat: ſicut cuncta quæ propaganter genita ſint, corrumpi. contra ita ſentientes nulla nobis inſumetur oratio. non enim de nominibus nobis cum illis ulla controuerſia eſt. Ipſe autem deus non modò extra omnem neceſsitatem conſtitutus eſt, ſed & dominus eius ipſe & effector eſt. Nam cùm ipſe copia, & natura copioſa ſit, nihil naturæ neceſsitate, nihil legis poſitione ac decreto agit: ſed contingentia ei ſunt omnia, uel etiam quæ neceſſaria. ac ut hoc clareſcat, atque magis demonſtretur, Solis curſum olim ac Lunæ iuſsit conſiſtere, utcunque neceſsitate ferantur, ac ſemper identidem ha-

beant

beant: quò nihil sibi à necessitate præscriptum demonstraretur, sed cuncta licenter contingere. semel huiusmodi diem fecit, ut nobis scriptis memoriæ proditum est, quo duntaxat demonstretur, ut nec legem dissoluat, quam necessitatis astrorum cursui à primordio dedit, quò ex his omnibus eius licentiam, & nulli obnoxiam necessitati uolũtatem perspiciamus. Stoici autem aiunt planetis ad idem signum longitudine ac spatio & latitudine restitutis, unde cuilibet uagandi initium fuit, cùm primùm in dictis temporum ambitibus mundus constitit, eorum quæ sunt conflagratione, ac corruptionẽ confectum iri, & rursus ex eo, quod fuerit, in eundem modum mundum rediturum, & astris similiter adhuc uagantibus, & singulis in priore ambitu constitutis immutabiliter, atq; omnino quæ fuerint confectum iri: fore nanque rursus Socratem, & Platonem, & cum his ununquemque hominem & amicum, & ciuem, & eadem suasuros, & cum hisdem instructuros, & eadem pertentaturos, idq; facturum omnem ciuitatem, omnemq; uicum, & omnem agrum, & ad idem rediturum, & uniuersi instaurationem fore: & ne id quidem semel, sed sæpius, imò in infinitum, ac absque ullo rerum termino eadem reparatum iri: ueruntamen huic corruptioni deos nequaquam obnoxios fore: se autem uno in ambitu cõsequutos ex eo cognoscere futura cuncta fore præter ea, quæ facta prius, cæterùm, cuncta

identi

identidem immutabiliter uſque ad minima quæq;. Ac ob hanc reparationem aiunt quidam Chriſtianos reſurrectionem excogitaſſe, longè aberrantes: quæ ſi quidem ad reſurrectionem pertinent, ſemel tantùm, nec ea à cœleſti fore circuitu Chriſti ratio exiſtimat.

DE LIBERO ARBITRIO. CAP. XXXVIII.

DE LIBERO arbitrio, hoc eſt, de eo quod in noſtra manu poſitum eſt, primã ac præcipuam habet oratio quęſtionem, ſi quicquã in nobis eſt: occurrunt enim, atq; oppugnant liberam uoluntatem multi: ſecundam uerò quænã demum in nobis ſint, & quarum rerum habeamus licentiam: tertiam porrò, ut exquiramus cauſam propter quam nos in libero arbitrio conſtituerit deus. À primo igitur exorſi primum dicamus, in manu noſtra eſſe, aliquid ex ijs, quibus ipſi quoq; accedunt, demonſtrãtes. Omniũ quæcunque fiunt in cauſa eſſe aiunt aut deum, aut neceſsitatem, aut fatum, aut naturam, aut fortunã, aut caſum. cæterùm, dei quidem proprium eſſentiam, atq; prouidentiam. neceſsitatis autem ſemper identidem habentium motum, fati uerò quæ ex neceſsitate profluant, conficere. nam ipſum eſt fatum neceſsitas. naturæ autem generationem, augumentum, corruptionem, plantas, & animalia. fortunæ

porrò rara, & inexpectata. fortunam siquidem definiunt simul euentum, & concursum duarum causarum, quæ ab assensione, siue proposito capiant initium, præter intentionem aliquid aliud conficientium, ut est foueam fodientem thesaurum inuenire. neq; enim qui eum occuluit, ita occuluit, ut alius inueniret: neque qui inuenit, ita effodit, ut thesaurum inueniret: sed hic quidē, ut cùm prolato opus esset, erueret: ille uerò, ut terram foderet: at utrisq; aliud sanè accidit præter quod sibi proposuissent. Casus uerò suum esse aiunt inanimatorum, & rationis expertium animalium euentus absq; natura, atq; arte. Cuinam igitur horum, quæ ab homine peragūtur, subijciemus, si homo suarum actionum causa atque principium non est? sed deo turpes actiones & iniustas ascribere nequaquam fas est: & ne quidem necessitati: non enim eius generis sunt, ut semper identidem habeant. neq; fato: non enim contingentium, sed necessariorum sunt, quæ fato deputantur. neq; naturæ: siquidem naturæ opera animalia sunt, & plantæ. neq; fortunæ: nam haud rarè, ac inexpectatæ sunt hominum actiones. neq; casui: inanimatorum enim est, aut rationis expertium casus. reliquum ergo est ipsum hominem actorem, atq; effectorem, principiumq;, & suo liberum arbitrio esse, quæ ab ipso edantur operum. Item si nullius est actionis homo, principium superfluum est, quod consultandum ducit. quorsum enim consilium, si

nullius est dominus actionis? Atqui quod in homine pulcherrimũ honoratissimumq; est, superfluum definire omnium alienorum alienissimum sit. quod si profectò consultat, agendi causa consultat. omne enim consilium agendi causa, & ob actionem. præterea quorum in nobis sunt actiones, horum etiam effectus, qui de illis actionibus emanarint, in nostra manu sunt: atque quæ uirtutes constituunt, sunt in nobis actiones. in nobis ergo & ipsæ uirtutes. Quòd autem in nobis sint uirtutis actiones, ostendit & id eleganter Aristotelis de moralibus uirtutibus dictum. siquidem quæ facientes discimus, ea discentes facimus. imperare enim uoluptatibus discentes temperati euadimus: & temperati effecti uoluptatibus imperamus. ita autem dicendo est meditari, ac exerceri, in manu nostra esse, apud omnes profiteri. atque meditationes habituum dominæ sunt. consuetudo enim natura acquisititia est. quòd si habituum dominæ sunt cogitationes: & in nobis est cogitatio: in nobis sunt habitus: in nobis quoque actiones, quæ ad habitus transferuntur, esse necesse est. habituum enim productrices sunt actiones. qui ergo iustum nactus fuerit habitum, iusta aget: & qui iniustum, iniusta. in nostra ergo manu positum iusti'ne, an iniusti esse uelimus. Quòd autem sint in nobis aliqua, id suasiones, ac exhortationes demonstrant. nemo enim homini non famere, aut sitire suadet, neq; uolare: quandoquidem hæc in nobis

non ſunt. Non dubium igitur, quin ubi ſunt ſuaſio-nes, illic ſint quæ in noſtra manu. Præterea ſi in manu noſtra nihil eſt, ſuperuacaneæ ſunt leges. gens nanque omnis, natura dictante, legibus aliquibus utitur: illud exploratum habens, ſe agendi quæ lege præſcribat, habere licentiam. Gentes quoq; complures legum lationes dijs adſcribunt: ut Cretenſes quidem Ioui: Lacedæmonij uerò Apollini. Omnibus itaque hominibus natura docente in noſtram manum dimiſſa eſſe aliqua, cognitio eſt. Hæc demũ dicẽda exiſtimauimus pro his qui uituperant, quiq; laudant, & pro omnibus cuncta fato fieri exiſtimantibus, & perinde improbantibus.

QVOD SINT IN NOBIS ALIQVA. CAP. XXXIX.


VOD noſtra in manu ſint aliqua: quodq; aliquarum ſimus domini actionum: ſatis, ut ſentio, demonſtratum eſt. reliquum ut iam quæ in noſtra manu poſita ſint, diſſeramus. In uniuerſum igitur omnia, quæ à nobis ſponte fiant, in manu noſtra eſſe non imus inficias. Non enim ultro fieri quicquam diceretur, niſi in noſtra poteſtate ſit actio: & omnino ubi uituperatio, aut laus conſequitur, ac ubi ſuaſio, lexq; anteceſsit. id autem ſuprà demõſtratum. Propriè autem in noſtra ſunt poteſtate, quæcunque ſub animum cadunt, & de quibus conſultamus. Con-

ſultamus enim quod in noſtra poteſtate agendi, ac non agẽdi propoſitum ſit. Superius autem demonſtratum eſt conſilium de æquè contingentibus eſſe. Aequè autem cõtingens eſt, quod ipſum poſſumus, atque eius oppoſitum. perimit autem id mens noſtra, quæ actionum ſanè principium eſt: & eius ſunt quæ in nobis æquè contingentia, ut moueri, & non moueri: inſultare, & non inſultare: appetere neceſſaria, & non appetere: mentiri, & non mentiri: dare, & non dare: lætari ubi expediat, & non lætari: & id genus alia: in quibus uitij, & uirtutis opera ſunt. in his enim omnibus liberi ſumus arbitrij. Aequè autem contingentiũ ſunt etiam artes. omnis ſiquidem ars circa generationem eſt contingẽtium, quæ & eſſe, & non eſſe poſsint: cuius in faciente principium eſt, ac minimè in facto. Nihil enim ex æternis, & ex neceſsitate profluentibus, & in neceſsitate factis arte fieri dicitur, & ne quidem quæ contingenter fiant, & aliter habeant. In ipſis autem habentibus effectrix eſt cauſa: ut in animalibus, & plantis antè aliquid fieri dicitur: nempe id natura, non arte. Quòd ſi arte factorum extrinſecus eſt efficiens cauſa, quænam demum eorum quæ arte fiant, erit cauſa? aut faciens artifex: in artifice enim facere: hic igitur initium, & cauſa eſt actionis. in noſtra ergo poteſtate quæ ab arte ſunt actiones, & uirtutes, & pariter omnes actiones, quæ ſub animam, & rationem cadunt. Superius autem demonſtratum

est,cuiusmodi sint animales actiones. Multi autem putantes liberum dici arbitrium in omni actione, & procreatione, & fortuna, rationem non iniuria conuincunt. At qui acutiores uideri uolunt scripturæ, in calumniam adducentes illud, Non in homine uiæ eius: O' boni uiri, inquiunt, quonam pacto liber arbitrio suo homo est, quando in ipso uiæ eius non sunt? Cassæ sunt & inanes hominum ratiocinationes, utpote qui ad effectum quæ sapimus perducere non possimus. & id genus alia multa proferunt, nescientes quonam pacto liberum dicatur arbitrium. non enim in opibus, aut paupertate, aut utcunque ualetudine, aut naturali robore, aut dominatu, aut omnino in his, quæ instrumentorum, aut fortunæ bona dicuntur, aut quæ à prouidentia finem consequuntur, atque suscipiunt, habemus arbitrium, atque licentiam: sed in his quæ à uirtute, & uitio demanant actionibus, & assensionibus, & motibus, & quorum æquè opposita quoque agere possumus. Cùm autem omnem actionem antecedat assensio, non actio modò, uerumetiam assensio obnoxia est: quod etiam illud ostendit Euangelij, Qui cupidinis causa in mulierem iecit oculos, is adulterium in corde suo commisit. Et Iob propter filiorum suorum sententiam ob fluctuationes Deo sacrificium fecit. Peccandi enim, & iustè agendi primordium assensio est. At facinus aliquando quidem à prouidentia permittitur, aliquando autem

impeditur. nam cùm aliquid in noſtra manu ſit, cumq; ſit etiam prouidentia, per hæc ambo quæ fiant fieri neceſſe eſt. nam ſi per alterum tantummodo fiat, non erit utique alterum. Cùm autem quæ fiunt, mixta ſint, aliquando quidem ob id, quod in noſtra manu eſt, eueniet, aliquando autem ratione prouidentiæ, aliquando uerò ob utraque. at cùm prouidẽtia aliubi quidem ſe communem exhibeat, aliubi uerò peculiarem, ac ſingularem, in uniuerſum quæque priuatim unà offendi neceſſe eſt. nam cùm circunfuſum aridum fuerit, arent quoque corpora: tametſi non ſimiliter omnę, ac minimè propriè, nec uerò bene. fractis, & imbecillibus, & cõſequenter alijs corporibus diſtemperantiam, alijs impulſibus dementiam, & furorem gignit. Ex prædictis ergo certum eſt accidere, ut corporis temperamentum nequaquam proſperum collabatur, aut ob communem nos ambientem & comprehendentem aërem, aut ob ultroneam, quam nobis comparauimus diætam, aut illos ipſos ob delicias abſumptos. proinde ipſa quoque temperamenta, quæ ab ultroneo exordium ducunt, eſt uidere ubi in mala recidunt, & prouidentiam talium omnino cauſam non eſſe. Cùm ergo anima corporis indita & iniecta tẽperamento ſeſe cupidinibus, aut furoribus irę commiſerit, ac dediderit, aut à fortunis ſummittetur, aut extolletur, ſicut à paupertate, aut ab opibus ultroneum malum ſubit. ſi enim ſe committens rationi

distemperantiam uicisset, ac superasset, ut potius inuerteret, quàm inuerteretur: pessumq́ue mitteret, quàm mitteretur: bono utique ductu, & prompta, ac prodiui diæta ad egregium habitum animæ obfirmasset actiones. Ex ipsis itaque corrigentibus certum est, quòd qui se neutiquam corrigunt, sponte libenterq́ue delinquunt. in nostra siquidem manu est, aut in distemperantias incurrere, aut illis occurrere, atque dominari. nimirùm multi perturbationum causam ad distemperantiam relegantes, necessitati, ac non assentioni uitium ascribunt: & ob hoc aiunt ne in nostra quidem manu uirtutes esse, longè hallucinantes.

QVAMOBREM CVM LIBERO ARBITRIO CREATI SIMVS. CAP. XL.


SVB hæc quæ dicta sunt, reliquum est ut quam ob causam cum libero arbitrio simus procreati, disseramus. Nempe nos neutiquam inficiamur rationem liberum arbitrium illico fuisse cõsecutum, & cum genitis rebus transmutationem pariter & conuersionem exortam fuisse, præsertim eam, quæ ex subiecta sylua edita sit. Nam generationis initium conuersio est. quandoquidem ex subiectæ syluæ alteratione generatio. Nouerit sanè quod diximus, spectans plan-

tas omnes, atque animalia terrena, & uolatilia, & aquatilia. continua enim horum mutatio. Quòd uerò ratiocinandi sensum liberum sequatur arbitrium, ex his quæ prædiximus, ubi quòd sint in nobis aliqua ostendimus, haudquaquã negligenter audientibus est manifestũ. Sed eadem nunc quoq; memorare iure non erit alienũ, id exigente consequentia. Rationis pars altera speculatiua, altera actiua est: Speculatiua quidem, quo pacto habeant ea, quæ sunt, in mente uersat, ac perspicit: Actiua uerò cõsultat, agitabilia recta ratione definiens: & hanc quidem sapientiam, illam uerò prudentiam nominamus. Omnis porrò qui consultat, utpote in sua assensionem habens potestate, de agendis consultat rebus, quo ex consilio præiudicatum deligatur, planeq; assumatur, & assumptum tractetur, & peragatur. Omnis ergo necessitas subijcitur ijs, qui omnia in consilium aduocant, quorum ipsi actionum sunt domini. Nisi enim homo dominus sit actionum, ei superuacaneum sit consultare. quòd si non hoc, rationali parti necessariò liberum assistet arbitrium. Aut enim non erit rationale: aut cùm sit rationale, dominatum geret actionum. dominatum uerò gerens actionum, liberum prorsus erit arbitrium. Atqui demonstratum est quæ ex subiecta sylua genita sint, illa transmutabilia esse. ex utrisque itaque concluditur, & necessariò, hominem cum libero natum esse arbitrio, & mutabilem esse: mutabilem

quidem, quòd genitus: cum libero autem arbitrio, quòd rationalis. Quicunque igitur deum accusant, quòd hominem uitij non fecerit immunẽ, sed cum libero arbitrio, seipsos ignorãt, quòd rationalẽ hominem fecit, ac non irrationalẽ. ex duobus enim alterũ esse necesse est: id est, aut irrationalẽ genitum esse, aut rationalem, & eum qui circa res tractãdas uersetur, liberum habere arbitrium. omnis igitur natura rationalis liberum habet arbitrium, & suapte natura mutabilis sit necesse est. Cæterùm, quæ ex subiecta sylua productę sunt, duobus modis mutabilitatẽ habent, ob syluã, & ob id quòd genitæ sunt. Quæcũq; uerò ex subiecta sylua genitæ sunt, uno duntaxat modo, qui est generationis, sunt mutabiles. Sed porrò harum immateriatarum quæcunq; terrestribus affines, & earum sunt participes, genitæ editæq; circa ea, quæ ab hominibus agenda sunt, plus cæteris mutabiles sunt. quæ autem naturæ excellentia, ad deum obtentu proximè accedunt, & eius cognitione erga se beatitudine fruuntur, ac ad deum solæ conuersæ à peragendis & syluosis rebus omnifariã se abalienarunt, atq; auerterunt: at speculatione deo immutabiles permanentes adhæserunt. Liberi quidem sunt arbitrij, quòd sint rationales: nec ideo tamen mutabiles, ob quas iam diximus causas. Verùm id minimè mirum, quando qui ad speculandũ nati conuertuntur homines, sese à gerendis rebus amouerunt, atque auerterunt, immotiq; permanserunt.

runt. Ex his quæ dicta sunt, satis demonstratum puto, rationales naturas omnes à primordio rerum longè optimas esse procreatas: ac si ita permansissent, sicut primùm creatæ sunt, ab omni fuissent alienæ flagitio. Gignitur autem ipsis ab assensione uitium. nam quæ ita permanserunt, sicut primò genitæ, in beatitudine constitutæ sunt. Soli autem angeli earum, quæ corpore uacent, se auerterunt: & ne ij quidem omnes, sed eorum quidam, quicunque ad inferna lapsi terrenorum desiderium pertinuerunt, à superno, & dei obtentu eliminati. Nunquid igitur ex his quæ demonstrata sunt, certum est, ut quoniã natura sumus mutabiles, potentias ad assentiendũ habeamus mutabiles? Nec ideo tamen quòd mutabiles habeamus potentias, & proinde simus mali, iure quisquam deum accusauerit. non enim in potentijs siue facultatibus sunt flagitia, sed in habitibus. atqui habitus in assensione sunt. ob assensionẽ igitur mali euadimus, & nequaquam ob naturam. Perspexerit utique quod diximus quispiam apertius, hoc pacto: Anteà potentiam esse dicebamus, à qua unum quodq; eorum quæ facimus, possimus efficere. atqui uis omnis assensoria eadem etiam oppositorum est. una enim, & eadem uis est mentiendi, & uera proloquendi: & una ac eadem est uis ac potentia temperanter, & intemperãter agendi: non tamen idem est oppositorum habitus, ut temperanter & intemperanter uiuendi, aut mentiendi & uera

proloquendi: ſed econtrario ſunt contrarij. temperanter ſiquidem uiuere, eſt per uirtutem habitus: intemperanter autem, uitij. non ergo potentiarū ſunt uitia, ſed habituum, atque aſſenſionis. non enim facultas eſt, quæ nobis ſuppetat ad intemperanter agendum uitam, aut mentiendum, ſed aſſenſio. nam in noſtra manu fuerit ſiue intemperanter agere, ſiue mentiri: temperanter'ue uiuere, aut uera proloqui. Quòd ſi facultas uitium nõ eſt, ſed habitus, ne quidem qui facultatem dedit, malorum nobis eſt cauſa: ſed habitus, qui à nobis, & propter nos, & intra nos progenitus eſt. Contrarium ſiquidem licuit habitum aſſuetudine comparare, & neutiquam malum. Differt ſubinde facultas ab habitu: quòd omnes quidem poteſtates ſunt naturales, habitus uerò acquiſititij: & quòd poteſtates indociles quidem ſunt, habitus uerò doctrina, & ſpeculatione comparantur. Proinde ſi poteſtas naturalis quædam, ac indocilis eſt qualitas: habitus uerò acquiſititius, & docilis: non utique natura malorum cauſa: ſed nos malè aſſueuiſſe, & ob hoc pernicioſum habitū fuiſſe conſecutos. omnis ſiquidem habitus acquiſititius eſſe demonſtratus eſt. Quòd autem natura ſint poteſtates, ex eo nimirùm liquet, quòd eaſdem omnes habent poteſtates præter aliqua in parte mancos. Quòd porrò habitus naturales non ſint, ex eo ſanè certū eſt, quòd non omnes eoſdē habēt habitus, ſed alij alios, nam quæ natura eadē, ſunt apud omnes.

DE PROVIDENTIA. CAP. XLI.



VOD liberũ homo habeat arbitrium, & quibus in rebus arbitrio ſit liber, & quam ob cauſam in libero arbitrio genitus ſit, ſuperius abunde dictum eſt. At quoniam non omnis qui ſibi occidere propoſuit, omnino occîdit, ſed quandoque quidem occîdit, quandoque autem non, præpedita actione, neque ad effectum perueniente: horum in cauſa prouidẽtiam eſſe dicimus, & neutiquam fatum: ſequens nobis de prouidentia erit oratio: quæ ſanè in tria diuiditur: primum quidem, ſi eſt prouidentia: ſecundo loco, quid eſt: tertio, quibus de rebus ſit. Planè Iudæus, niſi inſanus, prouidentiam ignorare nõ poteſt per Aegyptum res admirandas uidens, audiens quæ in ſolitudine facta ſunt, in quibus longè illuſtriſsimæ uiſiones hominibus à prouidentia emiſcuerunt: multa quoque in prophetis & apud Babylona prouidentiæ opera ſpectauit nullam dubitationem admittentia. Hæc ipſa porrò omnia Chriſtianos prouidentiam eſſe perdocent: in primis autem illud, quod omnem humanitatis modum excedit prouidentiæ opus fideliſsimum, quæ dei propter nos corporis fuit ſuſceptio. At quoniam non aduerſum hos modò, uerùm & aduerſum Græcos habetur oratio, agè alijs quoque, quibus illi fidem adhibent, rationibus prouidentiam eſſe demon-

ſtremus. Quòd itaque prouidentia ſit, eiſdem quiſquam demonſtrauerit argumentis, quibus deum quoque eſſe demonſtramus. Cunctarum ſiquidem rerum permanentia, & præſertim quæ in generatione, quæq; in corruptione conſiſtunt, & eorum quæcunque ſunt poſitio, & ordo ſemper obſeruatus: eodem modo & aſtrorum curſus nulla re unquam prorſus immutata, & anni circulus, & horarum inſtauratio, noctiumq; & dierum per annum æqualitas, ſenſim utraque creſcente & decreſcente, neque pauciori, neque pluri tempore: taliaq; quonam demum pacto perfecerit tanta tamq; conſimili parilitate procendens nullo prouidēte? Præterea & peccati comes ſequens ultio, quinimo & ipſorum detectio peccatorum: cùm nemo affuerit, qui poſſit arguere, circunſtantijs aliquibus fit propalam commiſſum, unde prouidentia eſſe demonſtratur. His refertiſsimæ ſunt exemplis hiſtoriæ, Hebræorumq; ſcripturæ, & apud Græcos libri. Huiuſmodi illud in Suſannæ perturbatione dictum eſt. Apud Græcos autem, quod in Ibycum poëtam commiſſum. Is enim à quibuſdam occiſus, cùm neque haberet quenquam qui ſibi ſuppetias iret, neq; teſtem qui inſidias factas detegeret, tollens in ſublime oculos, gruesq; ſuſpiciens, Vos, inquit, grues mihi homicidas hos ulciſcimini ſicarios. exinde homicidas huiuſmodi diſquirente ciuitatis magiſtratu, cùm neutiquam poſſent comperiri, coëunte ad ſpectacu-

lum populo, cùm omnes consedissent, ecce grues obuolarunt: id suspicientes homicidæ riserunt, & inter se, En tibi, inquiũt, Ibyci ultores. quod ex assidentibus quidam excipiens detulit ad magistratus. hi autem comprehẽsi cædem fassi sunt. Multa sunt huiusmodi, ac propè multitudine innumera à ueteribus scriptis memoriæ prodita: quæ si quisquam uelit colligere, in infinitum orationis longitudo ferè sit processura. Quòd si non omnibus delinquentibus idem criminator obijcitur: sed aliqui se ultionem effugere arbitrantur: ob id tamen prouidentiam nemo negauerit. Non enim uno modo hominum fit pœnitentia, sed multifariam, uarijsq; modis. Ne minus quidem prouidentiam esse demonstrant corporum in generatione, & corruptione apparatus, atque proportio in omnibus similiter obseruata. omni siquidem corporis portioni prouidentiæ consilium indicatur: quæ profectò laborem non subterfugientibus, ac declinantibus ex uarijs licebit libris intelligere. Quin & in animalibus colorum distincta uarietas eundem semper decorem, faciemq; custodiens, prouidentiam esse planè proclamat. necnon communis apud omneis homines persuasio deum, quæq; diuina sint, nos precari & colere oportere oblationibus atque supplicationibus putans, indicatrix est prouidentiæ. Quòd si uniuersum sine prouidentia sit, quisnam, aut quis quicquam precabitur? Et studium erga beneficen-

tiam

tiam, his quæ minimè subuerti possunt naturaliter studens, prouidentiam indicat. ex hac enim mercedem expectantes, cùm retribuere contrà non possimus, bene agere proponimus. At extincta prouidentia, ignoscitur, ac remittitur iniuria ijs, qui afficere possint iniuria: extinguitur eleemosyna, & dei timor, & cum his extinguitur uirtus & pietas. si enim non prouidet deus, ne quidem ulciscitur, neque bene agentibus præmia distribuit, neque iniuriam facientium damna abigit. quis igitur geniculabitur, deumq́ adorabit nihil ad quicquam nobis profuturum? Perimitur quoq; prophetia, omneq́ præsagium. Verumenimuero nequaquam hæc cõsonant illis, quæ propè quotidie spectamus. multa siquidem diuinitus in usu humano emicant: multaq́ in somnis laborantibus dantur adiumẽta: multaq́ præsagia in singulis seculis, atq; ætatibus proferuntur: multi porrò cædibus contaminati, aut nefandum aliquod facinus perpetrãtes, noctu atq; interdiu territantur. Alioqui bonus est deus, ut nihil melius: qui autem bonus, is beneficus. quòd si beneficus ac prouidus est, quid creationis opera memorare necesse est? quid creationis proportionem, & harmoniam, & positionem, & ordinem, & usum? quem unumquodque præbet uniuerso, & ita ut ne quidem aliter rectè habere possibile sit, quàm ut nunc habet: nec additamentum accipiat, neque eorum quæ sunt relinquere quicquam potest

test: at perfecta omnia, & speciosa, sapienterq́ue, & prouidenter condita sunt. Cæterùm, creationis rationem ad horum expositionem referamus: ne tamen in id incidamus, quod de prouidentia scriptu-ri multi fecere, creationem prouidentiæ loco laudibus efferentes, quæ ad scrutandam quidem prouidentiæ rationem nos adduxit: cæterùm ab ea longè differens. non enim idem prouidentia, quod creatio. creationis enim suum est, quæ fiant rectè efficere: prouidentiæ uerò, rectè accurare quæ fiant. sed hæc non omnino inuicem pro se consistunt, ut ex uiris in unaquaq; arte atque doctrina est uideri. nam ipsorum alij quidem tantisper solùm insistunt, quoad examussim peregerint, cæterùm nihil curãt, ut fabri, & pictores, & figuli. alij autem tantùm curam gerunt, & prouident; ut bubulci, & pastores. nunquid igitur & nos ubi creationis rationem tradimus, ut conuenit, ac expedit, demonstramus quæ facta sint, deum rectè effecisse: ubi uerò de prouidentia, cùm perfectum fuerit, diligentia opus esse? Quemadmodũ igitur ex homine homo, & bos ex boue semper gignitur: ita singula ex suo nascuntur semine, & minimè ex alieno deficiente prouidentia. Quòd si dicat quisquam, quòd à generationis principio res ipsa in seriem uenit, is nempe hoc dicit, creationi prouidentiam omnino assistere. nam in seriem creatum procedere, palàm facit creationi adiectam esse prouidentiam. Prouidentiæ enim pro-

prium est, post creationem ea quæ sint in ordinem digerere, atque ita nihil prorsus aliud dicit, quàm ipsum eorum quæ sunt effectorem ac prouisorem esse. Sed quisnam hominum formas spectans inter tot milia distinctas, & per omnia ne una in re quidē conuenire, hoc tantum opus non admirabitur? Quòd si quis secum causam reputarit, prouidentiæ causa in singulis formarum immutationem atq; diuersitatem comperiet. Intuere nanq;, si eandem immutabiliter figuram omnes fuissent assecuti, quanta rerum oborta esset cōfusio, quanta ignoratio, quanta caligo hominem obruisset: cùm neque domesticum cognouisset, neque alienum, aut hostem, aut malum ab amico & bono distinxisset. tum enim uerè unum forent cuncta, ut censuit Anaxagoras. quod si foret, nihil sororibus & matribus copulari prohibuisset, aut rapere, aut quiduis aliud propalam nequiter facere; neque modò se è præsentia subtraxisset, posteà uisus, cognitus fuisset: neque leges rempublicam instituissent: neq; patres & filij se inuicem inter se cognouissent: neq; quicquam aliud, quod ad hominem attineat, constitisset. hominum enim causa homo cæcutiuisset, exiguis ei ad uidendum præbitus. nam præter ætatem & magnitudinem nihil admodum eos discreuisset. Tantorum nobis bonorum causa fuit prouidentia, ubique & omnifariam hominum formas distinguendo, nec ullo tempore hoc facere prætermisit: quod singulis

in rebus

in rebus prouidentiam ineſſe maxima cõiectura eſt, ad fabricationis figuram uſque, expreſsione & uoce quiuis deprehenditur. neque tam obſeruatione huiuſmodi quicquam cuſtoditur, quàm forma decente. moderanter enim hoc nobis quoq; adiecit prouidentia, necnon & colorum differentiam, quò multis modis ſuppetias occurratur naturæ humanę imbecillitati. Puto ſanè multa quoque animalia ſpecie ipſa ſibi inter ſe non abſimilia; ueluti eſt cornix, & coruus: at quaſdam in ſpectando habere differentias, quibus ſe inuicem copulati deprehendunt ſaltem cornices & corui. nam multi ſæpenumero ſibi aggregantur: copulis autem diſtinguuntur, ſingulis ſingulorum copulationem diſpicientibus. Sed quonam pacto ſe ipſi inuicem cognouerint, niſi unicuique ſua fuerit expreſsio: nobis quidem nequaquam iudicatu facilis, perſpicua uerò illis qui in eadem ſunt ſpecie. Cæterùm, per gradus quoque deſcendentes famæ, & portenta, & oſtenta (aduerſum Græcos erit oratio ſua; ut ipſi aiunt, ratione perſuaſos) obſeruant, quos ipſa portendunt euentus: & prorſus prouidentiæ quodammodo ratione & ſignificant, & ſignificatos euentus ueros efficiunt.

QVID SIT PROVIDENTIA. CAP. XLIII.



T QVOD ſit prouidentia, & per ea quæ dicta ſunt manifeſtum eſt, & per quæ deinceps dicemus. exarabimus autem nunc, quid ſit prouidẽtia. Prouidẽtia autem eſt ex deo erga ea quæ ſunt exorta obſeruatio. Definiunt autem ipſam hoc etiam pacto: Prouidentia eſt dei uoluntas, à qua quæcunque ſunt omnia obuiam digeſtionem capiunt. Quòd ſi dei uoluntas eſt prouidentia, omnis neceſsitas à recta ratione demanat, eademq́; ſpecioſiſsima, & deo aptiſsima, & quo tantum quæ fiunt ex ſententia procreentur, ut ne meliorem quidem ordinem poſſint accipere. atqui eorũ quæ ſunt eundem effectorem & prouiſorem eſſe neceſſe eſt. neq; enim conſequens, neq; decorum eſt, alium quidem efficere, ſed alium eorum quæ facta ſint curam gerere. imbecillis enim ſit talia diſpicere. Cæterùm, & in animalibus eorum quæ dicta ſunt, multa eſt expreſsio. omne ſiquidem quod genuit, alumni eiusq́; quod genuit nutrimenti curam gerit. at homo etiam reliquorum omniũ, quæ ad uitam pertinent, eis quàm maximè fieri poſsit prouidẽs: quibus uerò minimè poteſt prouideri propter imbecillitatem, non prouident. Demonſtratum itaq; eſt deum prouiſorẽ eſſe: prouidentiam uerò, eius eſſe uoluntatem.

QVIBVS IN REBVS SIT PROVIDENTIA. CAP. XLIII.

QVOD


V O D ſit prouidentia, quidq; ſit, hactenus dictum: reliquum nunc eſt, ut quarum rerum ſit prouidentia diſputemus: utrum eorum quæ uniuerſi, aut ſingulorum: an & uniuerſi, & ſingulorum. Plato igitur & ad uniuerſum, & ad ſingula uult adminiſtranda referri prouidentiam, prouidentiæ rationem in tria diuidens: primam quidem eſſe dei primi, quem in primis ait prouidere, omnium rerum ideas proponendo: deinde mundum uniuerſum, ut cœli globos, & ſtellas, & cuncta, quæ ſunt uniuerſi, hoc eſt, genera, eſſentiasq; & qualitatis & id genus aliorum, ac quæ generibus ſubijciuntur ſpecies ad atomos generandas, animaliaq;, & plantas, & omnia quæ generationi corruptioniq; obnoxia ſunt. Secundo uerò loco deos, qui cœlum circunuertunt, prouidere. Ariſtoteles autem horum generationem deputat Soli, zodiacoq; circulo: necnon rerum agendarum productionem, & finem, & ad uiuendum ordinem, naturaliumq; rerum, & materioſarum, & eorum quæ inſtrumentalia bona nominantur, & his etiam oppoſita ab ijſdem uult adminiſtrari. Tertiam uerò definit Plato prouidẽtiam: cui præeſſe quoſdam circa terram præfectos ait dæmonas humanarum actionum cuſtodes: ſecundæq; ac tertiæ prouidentiæ primã præeſſe prouidentiam: quippe quòd primi dei poteſtate cuncta adminiſtrentur præſcribentis primis, ſecundis,

ac tertijs prouidentijs. Quòd igitur ad deum cuncta referat, quodq́; eius uolũtate omnem asserat cõponi prouidentiam, laudari certè dignum est. at illud minimè uerum, quod ait prouidentiam esse cœlum circumuersantes. non enim quod factum est, nomen habet prouidentiæ, sed fati & necessitatis. ut enim illa unà figurabuntur, ita quæ fiant, fieri necessitas ostendit, & ne aliter quidem contingere. eorum uerò quæ à prouidentia demanant, nihil necessitati obnoxium iandudum demonstratum est. Stoici autem philosophi fatum etiam quod in nostra manu est asserentes, ne ullum quidem prouidẽtiæ locum reliquerunt: sed & ueritates, & quæ in nobis sunt, ut prius demonstratum est, extingunt. Democritus autem, & Epicurus, & Heraclitus, neq; uniuersi, neque singulorum prouidentiam esse contendunt. Epicurus igitur dicebat, beatum quicquid est & incorruptibile, neque ipsum habet negotia, neque cuiquam alij exhibet. proindeq́; ira, neque gratia commouetur, neque hæc alij præbet. quòd autem neque ira, neque gratia tangatur, ex eo certum est, quòd talia imbecillitatis indicia sint. à dijs enim ira ideo aliena est, quòd expers sit consilij. deo autem nihil sine consilio. proinde hi sua sequuntur principia. casu enim hoc uniuersum constare rati non iniuria aiunt cuncta uacare prouidentia. Quis enim sit prouisor, ubi nullus sit creator? non dubium igitur, quin casu cuncta ferri necesse sit, quæ à

casu

casu principio exoriantur. Horum itaque opinioni occurrere expedit: qua extincta, cætera ad prouidentiam esse demonstrandam dictis facilè cõsequemur. Peculiaribus itaque occasionibus horum redargutionem obseruantes ad Aristotelis perueniamus sententiam, necnon aliorum singularia improuisa esse memorantium. Aristoteles enim à natura sola singularia uoluit administrari, ueluti in sexto nicomachiorum Ethicorum aperuit: hanc enim diuinam esse, & cunctis rebus genitis inesse, singulis naturaliter ad commodorum optionem, & lædentium fugam se suggerendo. Vnumquodque enim, ut dictum est, animal sibi accommodatum deligit nutrimentum, & commodum prosequitur, & langorum medelas natura dictante cognoscit. Euripides autem, & Menander in quibusdam mentem, quam esse in quolibet rentur, aiunt singulis prouidere: deum uerò nequaquam. Atqui eis duntaxat mens prouidet, quæ in nostra potestate sunt. aut enim in obeundis rebus, aut in artibus, aut in speculatione uersatur. prouidentia autem in ijs quæ in nostra potestate minimè sunt: sicut ditere & non ditere, & ualere & non ualere, quorum mens nihil potest, & ne natura quidem, ueluti Aristoteles ducit. certa siquidem naturæ sunt opera. At quidnam ad mentem, aut ad naturam, homicidam aliquando quidem pœnas luere, aliquando uerò effugere: nisi quis dicat, quod tam mentis quàm naturæ est, id esse

esse prouidentiæ: secundum uerò fati. Quòd si quæ à mente & natura exeunt, prouidentiæ sunt: quæ autem sequuntur, fati: quæ in nobis dicuntur esse, planè extinguntur. At non ita habet, nam quæ mẽtis sunt ad agendum speculandumq; uersata, ea in nobis esse demonstratum est: nec cuncta quæ ad prouidentiam attinent, naturæ sunt: quanquàm quæ naturæ sunt, ea à prouidentia gignuntur. multa siquidem quæ à prouidentia sunt, naturæ opera non sunt, ueluti de cæde demonstratum est. est enim natura prouidẽtiæ pars: non ob hoc tamẽ idẽ quod prouidentia. proinde hi naturæ & menti, quæ in singulis est, prouidentiam ascribunt. alij uerò eorum quæ sunt diuturnitatis, deum inquiunt curam habere: & perinde præteritorum nihil incusare, & eius solius esse prouidentiam: ad singulos uerò tantùm attinentia ferri ut euenerit, ac temere: & ob hoc multas quidem iniquitates accidere, multasq; ex cæde contaminationes, &, ut uno complectar uerbo, omne flagitium hominibus in administrationibus ciuitatum accidere, & id temere: alios quidem iudicium effugere, alios uerò torqueri, neque id iuxta bonum & æquum, neque omnino ut lex cunctis sese exhibituram pollicetur. Vbi uerò neque lex, neque ratio dominatur, quonam pacto illic deum esse quisquam dixerit harum rerum curam ullam habentem? euenit siquidem probos sæpissimè iniuria affici, & substerni, atque proculcari, & malis

malis infinitis undiq; agitari: malos uerò & uiolentos ad potentatus euehi tum opibus, tum magistratibus, cæterisq; huiusmodi uitæ commodis. Enimuerò qui hæc dicunt, multas mihi ad prouidentiam cognoscendam alias uidentur speculationes ignorare: in primis uerò animæ immortalitatem. mortalem enim ipsam arbitrati hæc & huiusmodi hominis uitæ transcribunt. dein de bonis peruersa habent iudicia, utpote qui opibus affluentes, & successibus euectos, & alijs materialibus bonis excellentes, & gloria insignes, habitos felices, & beatos putant. animæ uerò bona nullo loco habent. corporis bona plurimi fecerunt, necnon & externa excellere putauerunt. atqui meliorum meliora utique sunt bona. tanto igitur & uirtutes opibus, & sanitate, & cæteris id genus præcellunt, quanto anima excellentior est corpore: tametsi & solæ & cum alijs bonis uirtutes beatum hominem efficiant: cum alijs quidem, ob amplitudinem: solæ autem, propter sese per circunscriptionem. Eorum enim quæ sunt, quædam per circunscriptionem intelliguntur, ut binarum ulnarum: quædam uerò ob amplitudinem, ut aceruus: ab aceruo enim si modios binos abstuleris, reliquũ nihilominus tamen manet aceruus. ita si ab amplitudine beatitudinis, quæ corporis sunt bona, quæq; externa si abstuleris, solasq; uirtutes reliqueris, ne minus quidem quod reliquũ manet est beatum. siquidem uirtus per sese satis est

ad felicitatem. omnis ergo bonus beatus, & omnis malus miser, etsi fortunæ bona ad unum omnia etiam sit assecutus. Hoc igitur nescientes multi illos demum solos beatos arbitrantur, qui commodis præstent corporis, quiq; opibus sint affluentes. Hinc est quòd prouidentiā incusant, quæ non modò quæ in nobis comparent administrat, sed etiam quod nostri peculiaris præsagij est. Nam cùm nouerit deus nunc probo, & bono conferre ut pauperescat, ac quòd ad opulentiam peruenturus suam atque adeò optimam sit abiecturus atque corrupturus opinionem, ipsum in paupertate detinet, utpote quæ ei utilis futura sit. ediuerso autem intelligens sæpenumero diuitem atrociorem fore, si pecunijs indigeat, sicarium enim euasurum, & cruentis cædibus gauisurum, aut huiusmodi maioribus malis insignem futurum, cognoscens, opibus ipsum frui sinit. An non sæpissime nobis utilis paupertas fuit ad sepeliēdos filios, ad fugiendos uernas? acerbior siquidem ipsorum abolitione futura erat salus, si modò flagitiosi forent filij, & uernæ sicarij. At nos futurorum omnium ignari ad præsentia duntaxat respicientes, quæ eueniunt, neutiquam rectè perpendimus, ac iudicamus. deo autem futura perinde ac & præsentia sunt. Verumenimuero hęc aduersum cauillatores dicta sint, aduersus quos illud etiam scripturæ dicere utique conuenerit, Ne lutum loquatur aduersus planeq; cōtendat, Quidni

auer

auerſandus homo ſit, qui deo leges audeat imponere, in prouidentiæ opera inuectus humanis legumlationibus contradicere non auſus? Huiuſmodi igitur fluctuationes, ac ut uerius loquar, impietates prætermittamus, demonſtremuſq́ꝫ, ut eis minimè rectè uiſum eſt, improuiſa dici, quæ ad unumquenque pertinent: uniuerſa autem atque generalia prouidentiam conſecuta: nimirùm cauſas duntaxat treis has, quòd ad ſingula adminiſtranda nulla ſit prouidentia, quiſpiam adduxerit: aut deum ignorare quòd horum curam habere bonum ſit: aut nolle: aut non poſſe. atqui tam ignorantia, quàm inſcitia à beata eſſentia prorſus alieniſsimum eſt. eſt ſiquidem ipſum, quicquid eſt cognitio, & ſapientia, & ſcientia. Quiſnam homo adeò rerum ignarus eſt, ut neſciat cunctis ſingularibus abſumptis, uniuerſa quoque abſumptum iri? ex ſingularibus enim conſtant, quæ uniuerſum conſtituunt. exæquat igitur ſpecies ſimul omnibus particularibus, & cum eis conuertit, ut pariter corrumpantur, & pariter conſeruentur. nec quicquam prohibet cuncta indiuidua aboleri, ubi ſupernè nulla de huiuſmodi cura habeatur: quibus abolitis, uniuerſa quoque profligantur. Quòd ſi hoc ſolum aiunt prouidere, ne cuncta particulatim extinguantur, quò ſpecies conſeruentur, ſe profectò ipſi latent, quòd in ſingularibus aliquam eſſe aſſerant prouidentiam, his nanque rebus, ut ipſi aiunt, prouidens

ſpecies & genera cuſtodit. At inquiunt non certè ignarum eſſe, uerùm nolle prouidere. Quòd ſi non uult, id ſanè duabus fit de cauſis: aut propter inertiam, aut quòd minimè decorum uideatur. Sed quiſnam, quæſo, tam amens, ut inertiam deo imputet? Rurſus ab altero horum oboritur inertia, aut à uoluptate, aut à metu. nam aut alicuius uoluptate illecti pigreſcimus: aut metu perculſi obtorpeſcimus, ac retrahimur. horum autem neutrum fas eſt de deo perſentiſcere. Sin igitur deſinant inertiam, ut debent, deo imputare: at illud aſſerant deo nequaquam decorum uideri, indignumq́ tam immenſæ beatitudini ad tam puſilla, & friuola procuranda ſeſe demittere, & ferme inuileſcere inter ſyluoſas & aſſenſorias obſcœnitates: ac per hoc ipſum nolle affirment, ignorant binas ſe perturbationes pernicioſiſsimas deo confingere, ſuperbiam, & inquinationem. aut enim propter ſuperbiam creator à dominatu ſe abdicat, atque à ſingulorum adminiſtratione immunem facit: quod dictu abſurdiſsimum ſit, aut inquinationem declinat, atque auerſatur, ut ipſi aiunt. Quòd ſi à ſolaribus radijs naturam ad omne humidum trahendum habentibus, ſolem aiunt non inquinari, & ne quidem radios ipſos, cùm in cœno & cloacis illuxerint: ſed intactos, & puros permanere: quidnam eſt quod in his peragendis deum putent uileſcere? Non eſt, non eſt humanæ naturæ deum cognoſcere: ſunt enim

enim hæc hominum opinamenta. intractabile siquidem, & incorruptibile, & incontaminabile, & omni alteratione melius quicquid diuinum constitit. inquinatio nanque, & cuncta huiusmodi inuersionis quædam opera sunt. Cæterùm, quonam pacto absurdissimum non sit, artificem quidem, cuiuscunque artis ille sit, & præsertim medicum curare quæ in uniuerso sunt, & particularibus non attendere? Proinde ne minimum quidem expers artis & curæ esse permittit, illud intelligens, quòd si totum, partem quoque procurarit: deum uerò ipsorum creatorem artificum quæ uelit imperitius procurare censuerimus? atqui uult'ne igitur quidem, sed nequit? sed quî potest hoc non eregione ferri ita definitum imbecillum deum faciendo, ac impotem ad benefaciendum? alioqui non posse indiuiduis deum prouidere, duobus modis id quispiam dixerit: aut ipsum non esse suapte natura idoneum: aut singularia ipsa non esse prouidentiæ capacia. at quòd ipse sit ad prouidendum idoneus, ne ipsi quidem diffitentur, dum ipsum aiunt uniuerso prouidere. alioqui inferiora, ac deteriora ad superiora, ac excellentiora administranda peruenire impossibile est. sed ediuerso excellentiorum potentia ad perfecta usque, ac ea quæ sensus sunt expertia, descendit conseruanda. diuina siquidem uoluntate cuncta artantur, atque cohibentur: & hinc diuturnitatem ac salutem exhauriunt. Quòd autem indi-

uiduorum & multiplicantium substantia prouidentiæ capax sit, ex animantibus est uideri manifestum, quæ ab aliquibus principibus, atque ducibus gubernantur; quarum multæ quidem sunt species. nam & apes, & formicæ, & compluria alia, quæ in gregem coguntur, & coëunt, sub ducibus aliquibus instruuntur, quos obedientia subsequũtur. Sed hoc in primis facilè quiuis perspexerit, hominum Rempublicam contemplatus. Licet enim nobis intueri, ut eorum qui leges ferant,* ut principum administrationes, & procurationes amplectatur, & foueat. Quòd si horum capax est, quonam pacto creatoris prouidentiæ non erit capax? nempe quòd singula quęque prouidentia gubernentur, non exiguæ coniecturæ illud est, quòd natura pręscribente insparsam hominibus eius intueamur cognitionem. necessitati siquidem subtracti, & ab ea circumuenti, euestigio ad diuinum aliquod precesq́ perfugimus. proinde horũ neutiquam ignara natura, nullo docente nos ad eorum auxilium adducit implorandum. nemine autem consilium suggerente, non profectò nos eò natura adduxisset, unde quod peteremus uis nulla foret efficiendi. Enimuero repentinis tumultibus formidinibusq́ subitarijs nobis offusis, inconsultè trepidantes antequàm consideremus, deum proclamamus. nimirùm omne consequens natura docente ualidam ac præpotentem habet demonstrationem: & ne ullam

quidem

quidem ſuſcipit contradictionem. Vnde nam, quæſo, igitur ad hæc dicenda adducti, qui talia opinantur? Nempe primùm quòd animam cum corpore diſſolui rati ſunt, deinde quòd ſingularium prouidentiæ nullam poſſe rationem inueniri cenſuerunt. At quòd non ſit mortalis anima, quodq́ue ad hominem pertinentia hanc præſentem uitam excedant, ſapientiſsimorum Græcorum à corporibus ad corpora animarum tranſitus, eorum opinione oſtendunt: necnon loca, quæ ſortiri dicuntur animæ, prout ſingularum anteceſſerit uita, animarumq́ue ultiones, quas iuxta earum merita ſubire uoluerunt. Hæc, quanquàm aliquid aliter eueniat, animam tamen poſt hanc uitam eſſe exploratum haberi demonſtrarunt, & animi fluctuationum ſubire iudicia confitentur. Quòd ſi ſingularium prouidentiæ ratio nobis eſt incomprehenſibilis: nempe ut eſt ſingularium prouidentia, iuxta illud, Quàm inſcrutabilia iudicia tua, & non inueſtigabiles uiæ tuæ. non tamen ob hoc neganda prouidentia eſt. nõ enim ob id quiſquam aut mare ullum, aut ullam arenam eſſe negauerit, quòd maris menſuram, & arenæ numerum teneat nemo. nam & eo pacto neque hominem, neque animal aliud eſſe dixerit: quãdoquidem & hominum & cæterorum animalium numerum ignoret. infinita ſiquidẽ indiuidua ſunt: nobis autem infinita, nobis ſunt incognita. at quæ ſunt uniuerſi, ratione à nobis ſæpenumero comprehen

prehenduntur: quæ uerò singularia sunt, comprehendere impossibile est. Cùm uerò in unoquoque homine duplex differentia sit, & quæ ad alterum pertinet hominem, & quæ ad se: multiplex sanè est erga se uniuscuiusque singulis diebus, ac quotoquoque die mutatio, atque differentia in uitis, & institutionibus, & usibus, & cupidinibus, & euentis. propè enim cum animali hoc conuertibile est usibus & occasionibus ocyssimè commutatum. proinde suam cuique accommodatam prouidentiam necesse est, differentemq́ue, & uariam, & multifariam scissam, & multiplicatorum incomprehensibilitati concursantem pariter extendi. Quòd si cuiuis in promptu est secundum unamquamque rem peculiarem existere differentiam, infinitamq́ue singularium esse differentiam, non dubium, quin his aptæ prouidentiæ ratio sit infinita. quòd si infinita, nobis est incognita. non ergo propriam ignorantiam extinctionem curæ eorum quæ sunt conuenit efficere. Nam quæ tu non rectè fieri arbitraris, ea à creatore summa ratione administrantur: quænam demum amentia tua est, ut dicas ea sine ratione fieri, quorum causas ignores? nam quod in alijs quoque ignoratis rebus euenit, idem ex coniectatione quadam improuidentiæ nobis euenit operibus. quæq́ue huius caligine obruta sunt, propter ipsam cognoscimus, simulachra quædam, & eius operum umbras ex præteritis coniectura consecuti. Concessione

cesſione igitur dei quædam fieri dicimus. at conceſſionis multæ ſunt ſpecies. Concedit enim ſæpenumero & iuſtum in calamitates delabi, quò uirtutem in ſe occulentem detegat aliis: ſicut in Iob. aliquando permittit alienum aliquid agi, ut ea actione, quæ aliena uideatur, magnum aliquod & admirabile emendet, & dirigat: quemadmodum per Chriſtum hominum ſalutem comparauit. Alio quoque modo ſanctum mala ſubire permittit, ne ex recti conſcientia, & data ei facultate in oſtentationem incidat: ut in Paulo factum. Derelinquitur opportunè aliquis ad alterius correctionem, quò id intra ſe alij conſiderantes erudiantur: ut in Lazaro, & diuite. ſpectantes enim afflictatos natura dictante corripimur: ueluti dictum eſt. & apud Menandrum illud, Metuimus deum in tua perturbatione. Deſeritur aliquis ad alterius gloriam, non ſuo aut parentum peccato: ueluti qui natus erat cæcus ad gloriam filij hominis. Permittitur porrò & aliquis afflictari ad alterius æmulationem, quo magnificata oppreſsi gloria, impigrè ab alijs cruciatibus ſubeatur, & ſpe futuræ gloriæ, & bonorum expectatorum cupidine: ſicut in martyribus: aut ob patriam, aut ob genus, aut ob dominos ſe deuouentibus. Quòd ſi cui fortaſſe longè à ratione abeſſe uidebitur, ut ad alterius correctionem bonus mala ſuſtineat; illud nempe ſcito, uitam hanc cer-

tamen esse, ac uirtutis stadium. quò igitur maiores labores extiterint, tanto maiores erunt coronæ. repensione enim præmiorum emensa erit tolerantia. Ob hoc Paulus inter infinitas afflictationes se tolerantissimum exhibuit, quò maiorem & absolutiorem coronam afferret uictoriæ. Cuncta igitur rectè, & decenter efficiuntur prouidentiæ opera. Quod autem rectè, & decenter, ac ut solum deum cuncta administrare contigerit, uel his duabus considerationibus quispiam persuasus, apud omnes receptis, rectissimè considerarit. Nunquid enim, cùm bonum esse deum constet, iure etiam prouisor erit? cumque sapiens quoque sit, num sapienter, & optimè eorum quæ sunt curam habuerit? Si enim non prouidet, non utique bonus est: si non rectè, non sapiens. qui ergo ad has considerationes mentem iecerit, nihil quod ad prouidentiæ opera pertineat neglecturum, aut infamaturum, læsurumque existimabit. Quòd si consilio cuncta amplecti, cunctaque admirari uelimus, inueniemus rectè, & decenter, ac ut opus fuit confecta esse omnia. Quòd si multis iniusta uideantur, non tamen ob hoc infamando ea ac detestando multa inscitiæ nostræ uituperatione obruere debemus. Cùm autem rectè cuncta fieri dixerimus, non dubium est, quin non de hominum uitijs, neque de operibus, quæ in nostra manu sint, & à nobis peragantur, uerba

facia

faciamus: sed de eis, quæ prouidentiæ, quæq; in nostra potestate non sint. Quamobrem igitur sancti uiri acerbis exitijs, indignisq; cædibus succubuerunt? Nam si id iniustè, cur iusta non prohibuit necem prouidentia? sin autem iustè concidentes, in causa omnino non fuere? Ad hoc sanè respondemus, quòd qui cecidit iniustè, cecidit & concisus. Aut iustè conciditur, aut commodè, ac utiliter. Iustè quidem, cùm id propter alienas euenit actiones, nobisq; incertas. Vtiliter uerò, antecedente prouidentia, ut perniciosæ ab ipso futurę sint actiones, cùm ad id usque temporis honesta constiterit uita, ueluti Socrati atque sanctis. Qui uerò necuit, iniustè necuit. non enim ob hoc, neq; quòd sibi licere existimauerit: sed ob lucrum, ac quòd sicarius esse uellet sponte. est enim in nostra potestate actio. Verùm tamen oppresio in nobis haudquaquam est, ut necari. mala siquidem nulla mors est, nisi quæ à peccato oritur: ueluti ex sanctorum uirorum morte datur intelligi. peccator autem tametsi in scabello, utcunque ociusculè ab omni labore immunis decesserit, malè tamen mortuus est, malam parentationem peccatum adducturus. Verùm tamen qui occîdit, malè occîdit. inter eos, qui iustè occubuerunt, is est qui se in popularium fata demersit. inter hos autem, qui utiliter decessere, qui cæde cruenti, ac scelesti sunt circunuenti. idem in-

telligendum de eis, qui hostes conciderunt, seruos & captiuos effecerunt. idem de accumulantibus, pecuniasq́ue rapientibus sentimus: quæ quanquàm ijs quibus sublatæ sunt, quippe quòd illorum merito factum sit, conferat eas nequaquam habuisse: uerùm tamen fuit in aceruum cumulare iniusti: nam tales ideo ei rei student, quò accumulent, non ut auferendo illis commodum pariant.

FINIS.

